EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

Pergite, tu, dilecte fili, tuique in scribendo socii, pergite, ut facitis, tam bene de religione mereri, atque operam Nobis vestram summo in Ecclesiam obsequio probare.

(Leo Pontif. XIII).

Fili hominis, pone cor tuum, et . . . . auribus tuis audi omnia, quae ego loquor ad te de universis caeremoniis domus Domini, et de cunctis legibus eius.

(Ezechiel 44, 5).

ANNUS XIV — VOLUMEN XIV

ROMAE
TYPOGRAPHIA FRATRUM **Amoroso**
In vico *vulgo* della Torretta Borghese n. 22-25
1899.

41129

Annus XIV. N. I. Ianuarius 1900.

EPHEMERIDES LITURGICAE

PUBLICATIO MENSILIS

OMINA

Ut novum sanctumque morituri saeculi extremum annum incolumes ac florentes vivant Venerabilibus Consociatis lubentiori corde ominamur.

S. RITUUM CONGREGATIONIS

I.

URBIS ET ORBIS.

Quo Sancti Bedae Venerabilis, tot illustrium scriptorum et summorum Pontificum praeconiis condecorati, honor et cultus augeatur, complures sacrorum Antistites praesertim ex Anglia, supplicibus ad Pium Papam IX fel. rec. litteris, et nuperrime iteratis precibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII porrectis, enixe postularunt, ut dies festus huius sancti ac praeclari Confessoris in toto Catholico orbe

agi valeat cum Officio et Missa propria Ecclesiae Doctoris, prouti aliquibus locis atque universis sodalibus Benedictinis et Cisterciensibus iamdiu concessum fuit. Illud etiam Ven. Card. Bellarmini effatum ingenti cum animi gaudio atque spe commemorarunt: *Beda Occidentem, Damascenus Orientem sapientia sua illustravit;* insimul asserentes ea omnia quae iuxta Benedictum XIV in Opere de Canonizatione Sanctorum lib. IV, part. 2, cap. 11, n. 13 pro adiudicando titulo Ecclesiae Doctoris necessaria sunt, Sancto Bedae apprime convenisse.

Placuit autem ipsi Sanctissimo Domino Nostro eiusmodi tam gravis negotii examen Sacrorum Rituum Congregationi committere. Quae, exquisito prius doctissimi viri suffragio typis cuso, in Ordinariis Comitiis die 11 Iulii hoc vertente anno ad Vaticanum habitis, infrascripto Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto et Relatore, sequens dubium discutiendum atque expendendum suscepit: « An sit extendendum ad universam Ecclesiam festum S. Bedae Venerabilis cum Officio et Missa propria, addita Doctoris qualitate? » Et Sacra eadem Congregatio, omnibus rite perpensis, auditoque R. P. D. Ioanne Baptista Lugari Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: « Supplicandum Sanctissimo pro extensione Officii et Missae S. Bedae Venerabilis ad Universam Ecclesiam, addita Doctoris qualitate ». Quam resolutionem Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII ab ipso infrascripto Cardinali relatam, Sanctitas Sua ratam habuit et con-

firmavit, atque insuper, ex ipsius Sacrae Congregationis consulto, concedere dignata est, ut Festum S. Bedae Venerabilis cum Officio et Missa propria Confessoris et Ecclesiae Doctoris, prouti haec approbata sunt, die 27 Maii, quae est natalitia, eaque impedita iuxta Rubricas, die prima insequente libera, ab universa Ecclesia sub ritu duplici minori inde ab anno 1901 in posterum recolatur. Tandem idem Sanctissimus Dominus Noster supradictum Officium cum Missa de S. Beda Venerabili, sub enunciato ritu in Kalendario Universali et in novis editionibus Breviarii et Missalis Romani deinceps inseri iussit. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 13 Novembris 1899.

C. Episc. Praenestin. Card. Mazzella,

L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus.*

D. Panici, *S. R. C. Secretarius.*

II.

MINORICEN

R. D. Ioannes Barber Pons, Ecclesiae Cathedralis Minoricensis Beneficiarius et Sacrarum Caeremoniarum Magister, de R.mi sui Episcopi consensu, sequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi resolvenda humillime proposuit, nimirum:

Dub. I. An Officium votivum S. Iacobi Maioris Apostoli, quod ex Iudulto S. M. Clementis Papae IX, recitabatur feriis secundis non impeditis in Hispaniae dioecesibus, et nunc persolvi potest loco Officii votivi

de Sanctis Apostolis pro feria tertia adsignati, iuxta decretum Urbis et Orbis diei 5 Iulii 1883, transferri possit ad feriam tertiam, in illis Hispaniae dioecesibus, ubi Officia votiva pro singulis hebdomadae diebus non sunt pro Communitatibus adoptata?

Dub. II. An in dioecesibus, ubi Officia votiva pro singulis hebdomadae diebus decreto 5 Iulii 1883 concessa, non fuerint adhuc adoptata, possint ulterius semel pro semper eligi?

Dub. III. An pro commemoratione S. Antonii Abbatis, huius dioecesis Minoricensis Patroni, de quo concessum est Officium proprium a Ss.mo D.no Nostro Leone Papa XIII, dici possit in suffragiis Sanctorum antiphona propria de secundis Vesperis festi: « Hodie Beatus Antonius, hilari vultu Sanctos Angelos intuens, tamquam si amicos videret, migravit in coelum.... » omisso « Hodie » ?

Dub. IV. An omnes ad medium chori accedentes et recedentes unico genu flectere teneantur, Canonicis exceptis, quum non sit in altari maiori Ss.mum Sacramentum reconditum?

Dub. V. An post Missam solemnem, qua finita, benedictio cum Ss.mo Sacramento datur, dum Celebrans et ministri recedunt ab altare ad scamnum in cornu Epistolae, ut ibi celebrans exuat casulam et manipulum, induatque pluviale, ac ministri manipulos deponant, debeant coram Ss.mo Sacramento discooperto in ipso altari, ubi Missa celebrata est, in plano utroque genu flectere, aut unico genu in gradu infimo altaris?

Dub. VI. An consuetudo utendi cingulo ad instar fasciae tolerari possit?

Dub. VII. An toleranda consuetudo utendi fundo caerulei coloris sub velo translucenti in fimbriis et manicis albarum?

Dub. VIII. Dum dicitur « Fidelium animae » in fine officii, estne manu producendum signum Crucis ad instar benedictionis?

Dub. IX. Thurificatio Ss.mi Sacramenti, estne facienda duplici ictu in triplici ductu, etiam intra Missam solemnem, ante Introitum et ad Offertorium?

Dub. X. Cereus Paschalis, debetne ardere, dum cantatur Missa in Vigilia Pentecostes?

Dub. XI. Ante Ss. Sacramentum discoopertum tenentur ne semper utroque genu flectere, iuxta decretum 937 - 1627, d. d. 19 Augusti 1651, ad 6, etiam processionibus interessentes imo et pluvialibus induti?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Servetur Indultum sa: me: Clementis Papae IX.

Ad II. *Affirmative* iuxta ipsum decretum Generale.

Ad III. *Pro gratia.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. Iuxta praxim Ecclesiarum Urbis, *in plano utroque genuflectitur.*

Ad. VI. Tolerari potest enunciata consuetudo ubi viget, donec cingula hucusque adhibita, consumentur.

Ad VII. *Affirmative* et detur decretum n. 3780 d. d. 12 Iul. 1892, ad V.

Ad VIII. *Negative.*

Ad IX. *Affirmative* iuxta decretum 3110-5318 d. d. 22 Martii 1862, ad 20.

Ad X. *Negative*, et servetur specialis Rubrica Missalis.

Ad XI. *Affirmative*, si agatur de accedentibus et recedentibus, iuxta citatum decretum.

Atque ita rescripsit. Die 24 Novembris 1899.

C. Episc. Praenestin. Card. Mazzella,
S. R. C. Praefectus.

D. Panici, *S. R. C. Secretarius.*

III.

DIE 9. NOVEMBRIS.

IN DEDICATIONE ARCHIBASILICAE SS.MI SALVATORIS

ADDITIO AD VI. LECTIONEM

BREVIARIO ROMANO INSERENDA.

Quod autem Pius nonus perficiendum censuerat, Leo decimus tertius, cellam maximam, vetustate fatiscentem, ingenti molitione producendam laxandamque curavit, vetus musivum, multis iam antea partibus

instauratum, ad antiquum exemplar restitui et in novam absidem, opere cultuque magnifico, exornatam transferri, aulam transversam laqueari et contignatione refectis expoliri iussit, anno millesimo octingentesimo octuagesimo quarto, Sacrario, aede canonicorum, perpetuaque ad Baptisterium constantinianum porticu adiectis.

Concordat cum originali approbato.

In fidem etc.

Ex Secretaria Sacror. Rituum Congregationis, die 17 Novembris 1899.

L. ✠ S.

Diomedes Panici, *S. R. C. Secretarius.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

DE EUCHARISTIA MORITURO DELATA PER DIACONUM.

Augustinus alterius ex italis civitatibus Ecclesiae parochus, pridie solemnioris Patroni festi totus erat confessionibus audiendis addictus. De improviso audit, Carolum Sacerdotem, cuius leviter aegrotantis nuper confessionem exceperat, ita peius habere ut Viaticum illi deferre necesse sit. Ne e suo munere distrahatur,

Caesarem delegat Diaconum, ut infirmo, licet carissimo suo, Eucharistiam deferat. Dicto audiens Caesar, superpelliceo, stolaque transversali amictus, ad altare Sacramenti pergit, pyxidem extrahit e tabernaculo, e qua unam in alia particulam ponit parva pyxide : postea civili habitu circumtectus, privatim, sine cereis et umbella, ob timorem irreverentiae ex parte malorum christianorum, accedit ad domum infirmi. Quem solari curat, hortaturque ut ad solemniorem actum se paret. Rite omnia persolvit, quae Rituale praescribit, inde dicit *Misereatur, Indulgentiam* manu benedicens, ter *Domine, non sum dignus,* et formulam, *ter* crucem cum hostia super pyxidem agens, *Accipe, frater* pronuntiat, et Sacramentum in ore infirmi ponit. Dum autem ultimam profert super infirmo Orationem *Domine sancte,* Carolus in osculo Domini reddit spiritum. Tunc Caesar, animum sumens, recitat *Subvenite* et reliqua ut in Rituali : demum *in aqua et vino* ablutis digitis, solus redit Ecclesiam. *Quaeritur :*

1. *Quaenam competat, latinae graecaeque Ecclesiae antiquiori et praesenti disciplina inspecta, Diacono potestas super Eucharistia ? Et sub quibus conditionibus ei liceat Eucharistiam sub speciebus panis ministrare ?*

2. *Quid ius liturgicum praescribat circa delationem unius vel plurium hostiarum, et quandonam liceat Viaticum privatim deferre ?*

3. *Quid de reliquis ut in casu, et peculiariter de signis crucis a Diacono Caesare factis ?*

SOLUTIO

Dissertatio a Rev. P. Elia Maria Coccia Ordinis Carmelitarum, habita in Ecclesia Presbyterorum Congr. Missionis prope Curiam Innocentianam, die 15 Novembris 1899; acta Epitome per Revmum Dom. Hilarium Passerini ex Praelatis Rom.

I.

Quodnam sit Diaconi munus, per ipsum etymon eiusdem vocis prae primis nobis innotescit. Ministrare etenim, graece διακονειν valet, unde originem ducit διακονος quod apud latinos idem est ac *servus, minister*. Tametsi hoc nomen inferioribus etiam Diacono ministris competat, Ostiariis scilicet, Lectoribus, Exorcistis, Acolythis, atque Subdiaconibus, nihilotamensecius in Hierarchia ecclesiastica hoc nomine, Diaconi tantum decorantur. « Ministrorum appellatio, *ait clar. D'Annibale*, lata significatione continet clericos minores nempe Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acolythos, imo et Hypodiaconos; propria et vera Diaconos tantum ». (Sum. Theol. moral. p. 1, Tr. 1, de personis n. 89). Et re sane vera ad hoc septem primi Diaconi creati fuere ut scilicet, instantibus Apostolis orationi et ministerio verbi, solis Diaconibus officium ministrandi relinqueretur. « Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine (Act. Apost. VI, 2-5) ». Elegerunt hinc Apostoli Diaconos septem, quos inter, S. Stephanum Protomartyrem; quibus munia varia com-

missa fuere ut puta, ministrare mensis, curam habere viduarum, et quae ad pedes Apostolorum deponebantur eleemosynas pauperibus distribuere, necnon ad alicuius ecclesiae rei gubernacula sedere, quod munus et ipsum S. Levitam Laurentium adimplesse legimus, qui opes ecclesiae quam praesidebat, quibus impius persecutor avidissime inhiabat, vendidit pretium pauperibus distribuens.

Verum Diaconi potestas non tantum ad dicta munia obeunda sistebat, imo vero ad nobilius sanctiusque munus obeundum consecrati Diaconi fuere. Cum enim de Diaconibus eligendis ageretur, voluerunt Apostoli eos, probos, sanctos, ac sapientes viros esse: « Considerate.... fratres viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia (Act. Apost. loc. cit.). Nec immerito homines tantis virtutibus praeditos exegere Apostoli; non enim, ut ait Natalis Alexander, ad profanae mensae tantum, sed ad Sanctissimae Eucharistiae dispensationem ordinari debebant, ac ad munia, ut iam innuimus, omnino spiritualia obeunda. Re quidem vera, postquam Apostoli eos elegissent « *orantes imposuerunt eis manus* » (Act. Apost. VI, 6) invocantes hunc in modum super eos Spiritum Sanctum. Et haec est potissima ratio per quam Diaconatus Ordo iam inde ab Apostolorum temporibus, a sua institutione scilicet, veluti sacer et maior habitus est, atque hierarchicus. Re vera iam ab illis temporibus Diaconi proxime inservierunt Episcopis et Sacerdotibus sacrificantibus, praedicarunt verbum Dei, atque nonnulla ministrarunt Sacramenta, quod passim Actus Apostolorum probant.

Diximus Diaconum iam a sua institutione proxime ministrasse Episcopis et Sacerdotibus sacrificantibus, et hoc procul dubio vi sui characteris fecit. Hinc est quod S. Cyprianus ait: « *Diaconos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus et Ecclesiae ministros* ».

Et Pontificale Romanum Diaconorum munera enumerans subiungit: « *Diaconum..... oportet ministrare ad altare* »; hoc autem maxime intelligendum est de munere illo quod Diaconibus incumbebat, immediate inserviendi Sacerdotibus sacrificantibus et Sanctissimam Eucharistiam dispensantibus. Et hoc est munus praecipuum quod Diaconibus vi propriae Ordinationis semper fuit et est.

Et hic quaeritur primo: Quaenam competat, latinae graecaeque Ecclesiae antiquiori et praesenti disciplina inspecta, Diacono potestas super Eucharistia? Et sub quibus conditionibus ei liceat Eucharistiam sub speciebus panis ministrare?

Reponimus in primis nullam fuisse *formalem* distinctionem latinum ritum inter et graecum, vel melius inter latinam et graecam Ecclesiam duobus vel tribus prioribus saeculis. Temporibus hisce certum est Diaconum ministrasse Eucharistiam sub utraque specie. Inquirendum venit utrum hoc de iure ordinario fecerit, vel extraordinario, scilicet ex delegatione. Quod Diaconus primis Ecclesiae saeculis Sanguinem D. N. I. C. christicolis distribuerit ex proprio officio ex potestate ordinaria videlicet, nullum superest dubium attente legenti caput 28, l. 8, Constit. Apost. et caput 13 eiusdem libri. Idem affirmant S. Cyprianus *serm. 5, de lapsis,* et S. Ioannes Chrysostomus *in hom. 83* in Matthaeum.

Inquirendum remanet utrum et Diaconi fuerit ex ordinario munere Corpus etiam D. N. I. C. distribuere. Et hoc pro illis temporibus certitudine utique, non autem probabilitate caret. Quod Diaconus Eucharistiam sub speciebus etiam panis distribuerit nullum dubium, in promptu est testimonium S. Iustini Martyris (Apol. II): « Οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῶν Διάκονα, ait ipse, διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐπαροῦσιν ἀποφέρουσιν· »

« Qui apud nos vocantur Diaconi atque ministri, distribuunt unicuique praesentium, ut partecipent eum, in quo gratiae actae sunt, panem, vinum et aquam, et ad absentes perferunt ». Quod autem ex proprio iure hoc fecerit, non auderemus statim affirmare, cum non pauca adsint Doctorum testimonia inter sese dissonantia, ac proinde leges critices id minime ferant. Non tamen desunt Doctores unanimiter affirmantes Diaconum semper, ac proinde apostolicis etiam temporibus, ex extraordinario iure Eucharistiam ministrasse: Id autem, dixi, non auderemus statim affirmare, cum ad hoc probandum apodicticae rationes desiderentur, imo potius talia in promptu esse argumenta quae maxime contrarium probent. S. Iustinus Martyr enim apertis verbis ait quod Diaconi temporibus suis, praesentibus Eucharistiam ministrabant atque ad absentes perferebant. Neque hoc intelligendum putamus a Diaconis factum quatenus illis commissum fuerat, hoc enim modo S. Martyris verborum obiectivus sensus nobis detorqueri videretur. Et hoc dictum sit relate ad priora illa tempora, quod si attendatur ad posteriora, Diaconorum potestatis, ordinariae velis vel extraordinariae, exercitium in Eucharistia administranda, ab Ecclesia limitatum esse penitus a dubio exulet; et hoc saltem admittere coguntur qui Diaconum Eucharistiam sub speciebus tantum vini ex iure ordinario ministrare potuisse volunt. Revera, saeculo tertio, habemus Levitam Laurentium dicentem *sibi commissam esse Dominici Sanguinis dispensationem.*

Quidquid autem circa hoc dictum vel factum sit, explorata nunc res est, quod iuxta praesentem disciplinam utriusque Ecclesiae, latinae scilicet et graecae, amplius Diaconibus non liceat Eucharistiam sub quavis specie ministrare nisi ex potestate extraordinaria, ex delegatione videlicet proprii superioris vel etiam in necessitatis casibus. « Diaconus, *ait Lehmkuhl*,

quamquam ex Ordinatione sua id habet, ut possit Sanctissimam Eucharistiam dispensare; tamen ex hodierna praxi hoc non potest, nisi ad casum alicuius necessitatis commissio Sacerdotis accessit » (p. 2, lib. 1, Tract. 4, n. 135). Hinc Diaconi potestas super Eucharistia bifariam dispescitur: altera ordinaria appellatur, extraordinaria altera. Vi ordinariae potestatis Diaconi est Sacerdoti sacrificanti proxime inservire; Evangelium canere in Missa solemni; Eucharistiam *mediate* tangere, in vase sacro scilicet contentam, ut puta e tabernaculo extrahere, ex uno ad alterum altare illam transferre, exponere publicae fidelium venerationi, et similia.

Et nunc de his quae Diacono competunt circa Eucharistiam vi potestatis extraordinariae. Et primo si Eucharistia quatenus sacrificium consideretur, solus Sacerdos est eius minister et quidem unicus; ad cuius probationem accipe doctrinam breviter et nervose more suo ab Angelico Doctore traditam (P. 3, q. 82, a. 1): « Hoc Sacramentum, *ipse ait*, est tantae dignitatis, quod non conficiatur nisi in persona Christi. Quicumque autem aliquid agit in persona alterius, oportet hoc fieri per potestatem ab illo concessam: sicut autem baptizato conceditur a Christo potestas sumendi hoc Sacramentum, ita Sacerdoti, cum ordinatur, confertur potestas hoc Sacramentum consecrandi in persona Christi. Per hoc enim ponitur in gradu eorum, quibus dictum est a Domino (Luc. 22): **Hoc facite in meam commemorationem**; et ideo dicendum est, quod proprium est Sacerdotum conficere hoc Sacramentum ».

Si vero Eucharistia quod dispensationem attinet consideretur, et hoc primario competit Sacerdoti, uti eiusdem dispensationis ministro ordinario et principi. Siquidem velis nolis, ad eos pertinet Eucharistiam dispensare quibus et consecrare; quemadmodum ipse

Christus in ultima Coena postquam Corpus suum et Sanguinem consecraverit, et ipse Apostolis distribuit. In cuius confirmationem sic perbelle venit praelaudatus Angelicus (loc. cit. a. 3): « Dicendum quod ad Sacerdotem pertinet dispensatio Corporis Christi propter tria. Primo quidem, quia, sicuti dictum est (*art. praec. hui. quaest.*), ipse consecrat in persona Christi; ipse autem Christus sicut consecravit Corpus suum in Coena, ita et aliis sumendum dedit; unde sicut ad Sacerdotem pertinet consecratio Corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio. Secundo, quia Sacerdos constituitur medius inter Deum et populum; unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere. Tertio, quia in reverentiam huius Sacramenti, a nulla re contingitur nisi consecrata; unde et corporale, et calix consecrantur, et similiter manus Sacerdotis, ad tangendum hoc Sacramentum ». Proinde in hac parte non remanet Diacono super Eucharistia alia potestas nisi extraordinaria, et ideo stat quod supra diximus, videlicet, tametsi Diaconus vi sui Ordinis Eucharistiam ministrare possit, id tamen nunc temporis ei minime permittitur nisi in necessitatis casibus, vel concurrente licentia proprii superioris. Et haec est disciplina in utraque Ecclesia vigens, latina scilicet et graeca.

Autumant nonnulli propterea Diaconum Eucharistiam *ordinarie* ministrare non posse, quia illam tangere ei *immediate* non licet. Ast, dicimus, Diacono licet Eucharistiam *mediate* tangere, ergo saltem Sanguinem D. N. I. C. ministrare poterit iis in locis et in illis Ecclesiis ubi usus et ritus hoc permittit. Reponimus: Negative. Ratio, quia in praesenti disciplina, uti omnibus pro comperto est, administratio Eucharistiae est actus quasi iurisdictionis, hinc nemo illam ministrare potest sine tali iurisdictione vel hanc habentis,

commissione saltem praesumpta. Exemplum sit graeca Ecclesia in qua fideles sub utraque specie communicant. In hac Ecclesia tametsi iuxta proprium ritum, Diacono, quemadmodum in latina Ecclesia, attenta praesenti disciplina, tantum liceat *mediate* Eucharistiam tangere; et licet, iuxta eundem ritum, communicaturus Diaconus, in proprias manus recipiat sacras species panis, per semetipsum sese deinde communicans; et licet Diaconus inserviens Sacerdoti sacrificanti, fidelibus communicatis sub utraque specie, debeat per semetipsum sacrarum specierum reliquias ex calice sumere, attamen ei non licet Sanguinem D. N. J. C. fidelibus distribuere nisi ex potestate *extràordinaria*. Quinimo ipsemet Diaconus sub dictis speciebus communicaturus, non potest per seipsum communicare, sed a Sacerdote ei sacrae species praebentur. Remanet ergo probatum quod Diaconus, attenta utriusque Ecclesiae praesenti disciplina, Eucharistiam ministrare non potest sub quavis specie, nisi in necessitatis casibus, vel accedente proprii superioris licentia, qui tamen hoc permittere nequit nisi rationabili de causa.

Arroges velim, in antiquitate, uti referunt auctores perplures et maxime Antonius Zaccaria, Sacerdotem Corpus, et Diaconum Sanguinem D. N. I. C. Christicolis distribuisse. Concedimus, si de duobus vel tribus prioribus saeculis agitur. Quid inde? Num et in praesenti hoc ei de iure ordinario competit? Minime gentium ut ex allatis constat. Fortasse haec potestas adhuc relicta fuit Diaconibus vel ad tempus tolerata, eo tempore quo certe exercitium potestatis eius super Eucharistia limitari coepit. In dubiis, hoc certe non caret probabilitate. Praeterea, scimus ex Selvagio (*Antiq. christ. lib. II, p. II, cap. III, § 3, n. XI*), quod antiquitus in quibusdam locis solus Episcopus, alicubi etiam Diaconi, sed calicem tantum,

alicubi etiam hi Corpus ministrabant. Omnia proinde ostendunt Diaconum, ad summum exclusis duobus vel tribus prioribus saeculis, in Eucharistiae dispensatione, sive sub panis, sive sub vini speciebus consideretur, semper fuisse extraordinarium tantum, haud vero ordinarium ministrum, et hoc in utraque Ecclesia, ac proinde Eucharistiam ministrare non posse sine commissione.

Inquirendum nunc venit, a quo committi possit Diacono, ut dispensare Eucharistiam valeat. Iam supra diximus, et communiter a Doctoribus tenetur, quod administrare Eucharistiam, est actus iurisdictionis; hinc illam administrare absque iurisdictione vel commissione saltem praesumpta, esset alterius ius *in re gravi* violare. Quod si Sacerdotes hoc facientes absque debita iurisdictione vel commissione saltem praesumpta, ius alterius *in re gravi* violarent; *a fortiori* id dicendum est de Diacono, qui in casu iuxta aliquos, non solum rem graviter illicitam ageret, sed irregularitatem etiam incurreret. Dura sententia, quam tamen cum multis aliis Doctoribus, et nos cum omni reverentia reiicimus. Re sane vera, unde Diaconus habet ut ministrare Eucharistiam valeat? Nonne ex Ordine, uti communiter a Doctoribus admittitur, et nos iam notavimus? procul dubio. Delegatio autem efficit tantum, ut actus ab Ordine procedens licitus fiat, et foret illicitus sine delegatione, quia dictae dispensationis est tantum extraordinarius minister. Et in casu Diaconus habet potestatem Ordinis, tantum illi deest potestas iurisdictionis. Id nisi verum admittas, fateri cogeris Subdiaconum quoque vel alium inferiorem ministrum posse a Sacerdote delegari, quod quam falsum sit atque a Catholicae Ecclesiae doctrina et universali praxi absonum nemo est qui non videt. Ergo concludere est quod administratio Eucharistiae in Diacono est actus Ordinis, sed extraordinarius. Porro si in dispensanda

Eucharistia actum Ordinis quem habet exercet, quomodo irregularitatem incurreret Diaconus? Hinc Morinus: « An vero si absque commissione (Diaconus) communicat populum . . . . . , etiam extra necessitatem, incurrat irregularitatem, disputant Theologi, sed plures probabilius negant; ratio, quia in hoc casu non sibi usurpat actum Ordinis, sed tantum ei deest iurisdictio (Vol. 2, De Ord. cap. II, a. III, n. 666) ». Idem tenet clar. Ballerinius. Ex quibus palam sequitur Diaconum ad Eucharistiam ministrandam delegatione tantum indigere ut licite agat. Hanc vero delegationem accipere debet a proprio superiore. At in casu ille solus censetur illius superior, qui ei peculiariter praesidet, et cui Diaconus subest. Subest autem quicumque minister Pontifici Romano, subest Diaconus suo Episcopo, subest suo Parocho; at subest etiam cuicumque alii Sacerdoti, cui ius sit in casibus particularibus, et a fortiori onus, Eucharistiam ministrandi. Ergo ab istis tantum delegari potest ad Sanctissimae Eucharistiae dispensationem, sub specie panis in Ecclesia latina, et sub utraque specie in Ecclesia graeca.

Inquiri nunc potest, utrum iusta causa requiratur ad Diaconum delegandum pro Eucharistia ministranda. Reponimus exulare ab omni dubio. Sic sentiunt communiter Theologi. Hinc cl. Marc apprime notat: « Diaconus, vi suae Ordinationis, est minister Eucharistiae extraordinarius, ita ut ei committi possit, ex iusta causa, huius Sacramenti dispensatio (P. 3, Tr. 4, disp. 1, cap. 2, a. 1, n. 1535) ». Non tamen requiritur ut haec causa sit extrema, sed sufficit gravis, ut Diaconus ad communicandum delegari valeat; cum in extrema, ex Doctorum consensu, Eucharistiam ministrare possit etiam sine ulla delegatione, modo Sacerdos desit. Nec proinde requiritur ut talis delegatio sit explicita, sed sufficit ut sit praesumpta, cum

iuxta S. Alphonsum, « licite ministrat Eucharistiam, qui praesumit rationabiliter pastorem factum suum approbaturum esse (lib. 6, Tr. 3, cap. 2, a. 1, n. 2) ».

Inquiri ulterius potest, utrum Diaconus possit seipsum communicare. Reponimus distinguendo : Aut de necessitatis casu agitur, aut non: in primo conceditur, non vero in altero. Ratio cur concedatur in primo est, quia nulla positiva lex id prohibet, et ab ipso Concina conceditur. Et res clara est, nam in casu contrario cogeretur Diaconus abstinere a magno consequendo bono atque a copiosis percipiendis fructibus spiritualibus a sumptione augustissimi Sacramenti dimanantibus, ob solum defectum iurisdictionis quae in casu praesumi posset, vel etiam Diaconus iustificaretur ab instanti necessitate. Caeterum attendas responsum a S. C. de Propaganda Fide huic sequenti dubio datum 10 Aug. 1841 : « An permitti possit in hoc persecutionis tempore, ut fidei confessores ad mortem propter fidem damnati, et quibus in carcere defertur SS. Eucharistiae Sacramentum occulte, possint illud accipere suis manibus et sese occulte communicare, ne Sacerdos illos more ordinario communicans cognoscatur et prehendatur? » Respondit: « Affirmative, dummodo nulli irreverentiae aut alii periculo, tantum Sacramentum exponatur ». Si ergo laicis permittitur, quare non Diacono? Dices, heic agi de necessitate extrema. At, reponimus, Eucharistiae Sacramentum in extremis de necessitate non esse. Urges, agi saltem de praecepto divino adimplendo. Bene quidem, et in casu nostro agitur de magno consequendo bono quod Diaconus aliter obtinere nequit, nisi sese communicans. Praeterea, nonne fideles prioribus saeculis Eucharistiam propriis manibus accipiebant, ferebant domum et ibi sese communicabant? absque dubio.. Sed, dices, Ecclesiae disciplina mutata nunc est. Verum

est, sed tamen hoc permitti saltem potest in necessitatis casibus. Si ergo Theologi et S. C. de Propaganda Fide in dictis casibus id permittunt laico, a fortiori concedendum Diacono qui ex vi Ordinis est etiam minister Eucharistiae, esto extraordinarius. Argumentum ità est perspicuum, ut si velit adhuc declarari, perspicuitas eius potius levaretur.

His praeiactis, exponamus et resolvamus duo dubia, quibus resolutis, satisfactum esse putamus alteri commati primi quaesiti, et partim tertio. *a*) Si parochus diebus festis magni concursus occupatus in confessionibus excipiendis, vel non posset vel nollet ad communicandos fideles ab exedra exire, possetne ad id delegare Diaconum? *b*) Et concesso quod parochus id possit, potestne Diaconus et debet manu fidelibus benedicere tam ante, cum dicit scilicet *Indulgentiam* quam post Communionis distributionem?

Ad I. respondemus posse parochum in illis circumstantiis tuta conscientia delegare Diaconum ad Eucharistiam distribuendam, modo non adsit Presbyter, quia tunc ait Concilium Arelatense: « Diaconus Corpus Christi, praesente Presbytero tradere non praesumat ». Et ratio per quam parochus, absente Presbytero, Diaconum ad ministrandam Eucharistiam delegare valet in promptu est: Parochus superior est Diacono qui in hypothesi illi subest; habet praeterea iustam causam delegandi Diaconum ad Eucharistiam ministrandam: operam enim impendit sacro ministerio a quo se retrahere non posset absque fidelium incommodo, et forsitan, quod haud raro accidit, quin etiam ad murmura fideles incitentur. Caeterum eiusmodi causa uti iusta affertur a plurimis Doctoribus non excepto S. Alphonso. Et Marc ad rem ait: « Diximus ex iusta causa... ..... ut si parochus esset occupatus in die magno festivitatis, aut numerus communicantium esset magnus

(P. 3, Tr. 4, cap. 2, a. 1, n. 1535) ». Idem docet cl. Ballerinius et alii perplurimi.

Ad II. dubium, quantum ad nos, *negative* reponimus, et hoc tenemus, usque dum S. R. Congregatio contrarium definiat. Nulli etenim dubium, potestatem benedicendi soli Sacerdoti competere, explorata res est apud omnes Doctores. Caeterum ad firmandam hanc nostram sententiam in promptu est Pontificale Romanum in quo *De Ordinat. Presbyt.* legitur : « Sacerdotem oportet . . . benedicere . . . », et infra, (in Ordinatione) Pontifex producendo manu dextra signum crucis super manus iam inunctas Ordinandi, dicit : « Ut quaecumque benedixerint benedicantur, etc. ». Vides ergo quod Sacerdos in sua Ordinatione potestatem benedicendi accipit, Diaconus autem talem potestatem cum ordinatur non accipit; ergo concludere est quod benedicere non valet, quia ipsi in hac re deest potestas Ordinis.

Qui autem contrarium tenent, quos tamen magna reverentia prosequimur, in medium afferunt responsum affirmativum a S. R. C. die 14 aug. 1858 datum in una *Tunquini Occidentalis* dubio : An Deficiente Presbytero et Vicarii Apostolici concurrente licentia, Diaconus, qui defert Sacrum Viaticum infirmis, possit . . . . facere aspersionem aquae benedictae, dicere Misereatur, Indulgentiam, signare infirmum vel semetipsum, dicere Dominus vobiscum cum oratione et benedicere cum Sanctissimo Sacramento infirmum et assistentes ? Resp. « Affirmative in omnibus ». Sed vides non agi haeic de benedictione manu danda, quae propria est solius Sacerdotis, sed de precibus, atque etiam de benedictione sed cum aspersione vel cum Sacramento. Huic Decreto innixus Lehemkuhl scribit : « In ipsa sacra Communionis distributione, si Diacono legitime commissa est, nullus ritus mutari debet, sed a Diacono

omnia perficienda sunt sicut a Sacerdote, omissa, ut videtur, sola benedictione populi, post datam communionem, et mutato modo deferendae stolae (P. 2, lib. 1, Tr. 6, n. 140, 4). Hinc concludere quis posset saltem licere Diacono manu benedicere cum dicit *Indulgentiam*, praesertim, cum Decretum exceptionem benedictionis cum manu facere potuisset, quam nihilominus non fecit. Sed oppositum credimus; quia hoc argumentum est negativum contra positivum super potestate benedicendi manu, quod Sacerdotis proprium est, et nullo pacto ad Diaconum pertinet. *Sacerdotem oportet benedicere*, ait Pontificale Romanum, et Diaconus in sua Ordinatione hanc potestatem non accipit; ergo benedicere non valet non solum post datam Communionem, sed neque cum dicit *Indulgentiam*.

Accedit quod signum crucis non necessario sequitur ritum dicendi *Indulgentiam*, sed ab eo est separabile. Revera ad Primam et Completorium dici *Indulgentiam*, omisso signo crucis, videre est apud Caeremoniale Carmelitico-Hierosolymitanum, iuxta quod Sacerdos communionem administraturus, post *Indulgentiam* tantum benedictionem impartitur.

Alterum comma primi quaesiti a nobis quaerit sub quibus conditionibus Diacono liceat Eucharistiam sub speciebus panis ministrare. Et huic postulato iam satis abunde factum esse videtur. Solum sufficiat hucusque dicta summatim repetere: Cum Diaconus ordinarius minister Eucharistiae minime sit, ut licite Eucharistiam ministrare valeat, indiget ad hoc delegatione proprii superioris. Accedente autem hac delegatione, abstineat omnino a benedictione fidelibus impartienda, tam ante, cum dicit scilicet *Indulgentiam*, quam post distributam Communionem, cum potestate benedicendi ipse penitus careat; *Sacerdotem oportet*

benedicere. Et haec dixisse satis sint ad quaesitum primum.

II. Secundo quaeritur quid ius liturgicum praescribat circa delationem unius vel plurium hostiarum, et quandonam liceat Viaticum privatim deferre. Ut huic alteri quaesito satis faciamus haec sufficiant:

Rituale Romanum de Communione infirmorum verba faciens, haec habet: « Ubi vero convenerint qui Eucharistiam comitaturi sunt, Sacerdos indutus superpelliceo et stola, et si haberi potest pluviali albi coloris, Acolythis, seu Clericis, aut etiam Presbyteris (si locus feret) superpelliceo pariter indutis comitatus, decenter et de more acceptas aliquot particulas consecratas, vel unam tantum (si longius, aut difficilius iter sit faciendum) ponat in pyxide, seu parva custodia . . . . . ». Deinde praescribens facienda infirmo communicato, clarius subiungit: « His expletis, si altera particula Sacramenti superfuerit (superesse autem semper debet praeterquam in casu dicto) etc. . . . . ». Et paulo infra: « Quodsi ob difficultatem, aut longitudinem itineris, vel quia ea qua decet veneratione, Sacramentum ad Ecclesiam commode reportari non potest, sumpta fuerit una tantum particula consecrata, ut dictum est; etc. . . . . ». Clarum est ergo ex citatis locis Ritualis Romani, quae nostro iudicio explanatione minime indigent, quod parochus vel alius Sacerdos ad communicandum infirmum delegatus, tot particulas consecratas in parva pyxide ponere debet, ut saltem una supersit pro reditu ad Ecclesiam, iis tantum casibus exceptis a Rituali praevisis, scilicet, nisi domus infirmi nimia distantia opponatur aut iter longe difficilius foret, vel etiam si Sacramentum ea qua decet veneratione deferri non posset. Ratio autem, si quid opinamur, ob quam Rituale Romanum plures particulas deferri praecipiat, est, quia hoc Sacramentum ad infirmos publice ac debito

honore deferri debet, quod non praecipitur cum rationabili de causa privatim defertur; saltem haec est praxis.

Et nunc de altero inciso a nobis quaerente, quandonam liceat Viaticum privatim deferre. Et primo dicimus quod, uti ex Rituali colligitur, semper publice Viaticum deferri deberet: « Deferri autem debet » legitur « hoc Sacramentum ab Ecclesia ad privatas aegrotantium domos decenti habitu, superposito mundo velamine, manifeste, atque honorifice, ante pectus cum omni reverentia, et timore semper lumine praecedente ».

« Parochus igitur processurus ad communicandum infirmum, aliquot campanae ictibus iubeat convocari parochianos, seu confraternitatem SSmi Sacramenti (ubi fuerit instituta) seu alios pios Christi fideles, qui sacram Eucharistiam cum cereis, seu intorticiis comitentur, et umbellam, seu baldachinum, ubi haberi potest, deferant ». Ergo ex citato Rituali satis, imo luce meridiana clarius est quomodo Viaticum ad infirmos deferri debeat. Rituale romanum minime notat quibus in circumstantiis licitum sit Viaticum privatim deferre; attamen admitti potest, uti ab omnibus admittitur, tali modo deferri posse iis casibus quibus permittitur una tantum particula in parva pyxide ponere, videlicet si longum vel difficile iter faciendum esset, et etiam persecutionis tempore. (1)

III. Tertio quaeritur quid de singulis ut in casu, et peculiariter de signis crucis a Diacono Caesare factis.

---

(1) Nota, uti bene animadvertit Emus Card. Parocchi dum in Academia haec dessertatio legebatur, quod *deferre Viaticum privatim* non ita intelligendum est ut nec aedituus sit a quo Parochus comitetur, sed solum quod Parochus excusatur ab instantibus circumstantiis, a Viatico deferendo cum illa pompa externa a Rituali praecepta.

Et primo quod attinet ad crucis signum a Caesare Diacono factum antequam communicaret Sacerdotem Carolum, cum dixit scilicet *Indulgentiam*, iam satis abunde ex supra dictis constat Caesarem caruisse potestate benedicendi. *Sacerdotem*, non Diaconum, ait Pontificale *oportet benedicere*. Male ergo se gessit Diaconus sibi arrogans ius procedens ab Ordine sacerdotali quo ipse carebat. Signando autem infirmum trino illo signo cum Hostia super pyxidem acto, penitus arbitrario egit: unicum signum crucis, non tria Rituale praescribit.

Quod ad parochum Augustinum attinet, iustam ipse habebat causam delegandi Caesarem Diaconum (supposito semper defectu alterius Sacerdotis) ad Viaticum deferendum. Et hoc etiam ex supra dictis logice sequitur; haec est sententia quam tenent Doctores non pauci, duce S. Alphonso. Attamen male egit Diaconus unam tantum particulam consecratam ponendo in parva pyxide, et insuper Viaticum privatim deferendo, hoc modo negligens praescriptiones Ritualis romani, volentis quod semper plures particulae in parva pyxide apponantur et quod Viaticum publice atque honorifice deferatur. Nec ipsum excusat ratio adducta, scilicet *ob timorem irreverentiae ex parte malorum christianorum ;* non est haec talis ratio ut valeat ab observantia legis dispensare. Sic tenent docti ac probati viri. Utique, si tota civitas v. g. tam impia esset, ut videns SS. Sacramentum ad infirmos deferri, dictis vel factis irrueret contra illud, tunc certe esset ratio excusans. Sed si, ut saepe saepius contingit, sint nonnulli christiani tam impii ut videntes SS. Sacramentum non solum, non adorent, sed nec dignentur sibi caput detegere, et aliquando forsitan etiam derideant; num propter hoc excusatur parochus vel alius, a SS. Viatico publice atque honorifice deferendo? minime gentium. Quid refert impietas

paucorum christianorum ? videant ipsi de impietate sua. Sed tamen, proh dolor ! lugendum, quod non in paucis civitatibus, nonnulli parochi, etiam timoratae conscientiae, ob timorem, saepe saepius inanem, istorum malorum christianorum, ita SS. Viaticum civili habitu circumtecti deferunt ut potius deambulatum ire videantur, tamquam si ad fidei confessores tempore persecutionis in catacumbis latentes deferre deberent. Hinc optandum ut tandem aliquando huic abusui finis ponatur.

Dicit praeterea casus, quod Diaconus Caesar ipsemet communicavit Sacerdotem Carolum, et hoc etiam est contra sententiam plurimorum Doctorum volentium quod Diaconus legitime delegatus ad Viaticum deferendum ad Sacerdotem infirmum, non ipse eum communicet, sed ipse Sacerdos, nisi viribus destitutus sit, accipiat sacram Hostiam et sese communicet. Hinc si Carolus Sacerdos non erat totaliter destitutus viribus, et ex seipso sese communicare potuisset, (a quo praescindit casus) male se gessit Caesar eum communicando ; si autem Carolus propter ingravescentem infirmitatem a seipso Eucharistiam accipere non potuisset, tunc iustificatus abiret Diaconus.

Praeterea notat casus, quod Caesar, animadvertens Carolum spiritum emisisse, recitasset pro anima defuncti *Subvenite* et reliqua ut in Rituali. Dicimus: Licet Diaconus Caesar ad Viaticum tantum deferendum delegatus fuisset, in illa circumstantia tamen positus, non est cur condemnetur ob solam precum recitationem pro Sacerdotis Caroli anima, ad quod faciendum sufficientem potestatem Diaconus habet. Quod si quis eum condemnare vellet ob defectum iurisdictionis, reponimus hanc potuisse in casu praesumi. Et revera, ut videre est in sequenti casu, parochus non

solum adprobavit quae fecit Caesar, imo eum laudibus commendavit.

Tandem abluens Caesar digitos in aqua et vino observavit quae Rituale praescribit, scilicet quod Sacerdos postquam communionem distribuerit, digitos purificet in aqua et vino. Et praescribit etiam quod apud infirmum ad quem Viaticum deferendum est, duo vasa praeparentur, unum cum aqua, cum vino alterum, quae inservire debent ad digitorum Sacerdotis purificationem. Et haec, si quid opinamur, semper fuit Ecclesiae praxis, quia non solum a romano Rituali praescribitur, sed etiam a Caeremoniale Carmelitico-Jerosolymitano, in quo semper cautum fuit ut liturgia antiqua conservaretur. Quapropter laus sit Caesari qui postquam fere omnia erravit, saltem scivit in aqua et vino abluere digitos iuxta Ritualis praescriptionem, quod in votis revera esset ut ab omnibus observaretur.

Sed satis haec, nam coepit urceus, et, currente rota exiit amphora.

ANIMADVERSIO AD POSTREMAM SOLUTIONEM

QUAESTIONIS SOLVENDAE.

Postremam solutionem nostri Competitoris, qui ceterum semper apud nos auctoritate et aestimatione florebit, quod nobis eius virtus satis sit nota, si veritatem asserere liceat, haud plene satis fecisse credimus; ipsemet enim nobis videtur acu rem minime attigisse. Validis id argumentis sustinere conabimur, spe etiam freti ipsum ad nos attrahendi.

Principium in quo argumentationem nostram firmamus,

reponitur in hoc ratiocinio: Ut aliqua Octava vocari possit privilegiata, necesse est ut nonnulla privilegia principalia (et non omnia), quae sunt octavarum privilegiatarum, possideat: atqui Octava Nativitatis (utpote inferius videbimus) quibusdam privilegiis propriis ex istis octavis et adhuc aliquo peculiari fruitur: ergo Octava Nativitatis Domini enumeratur inter Octavas privilegiatas. Sed tamen non abscondimus inter ista postremum eam occupare locum, eo quod minoribus prae aliis adornatur privilegiis. Modo vero praefata privilegia singillatim excutiemus.

Octavae, quae peculiaria possident privilegia, sunt sequentes: 1° Octavae Paschae, et Pentecostes, quae quodcumque Festum etiam ritus dup. 1ae classis respuunt, sicuti a Rubricis generalibus disponitur: « Infra Octavas autem Paschae et Pentecostes non fit de Festo aliquo » (*Tit. VII n. 3*). 2° Octava Epiphaniae, in qua admittuntur tantum duplicia 1ae cl. occurrentia, quod autem in die octava vetatur: « Infra Octavam Epiphaniae fit tantum de Duplicibus 1ae cl. (non tamen in die octava) cum Comm. Octavae. » (*Tit. VII, n. 3*). 3° Octava Corporis Christi: en quomodo de ipsa loquitur Rubrica generalis: « Infra Octavam Corporis Christi fit tantum de Duplicibus, non tamen translatis, nisi fuerint 1ae vel 2ae classis » (*Rub. cit.*). In peculiari autem loquitur ita: « In die Octavae non fit nisi de Nativitate S. Ioannis, et de Festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, vel de alio ex solemnioribus si occurrant, cum Comm. Octavae » (Videsis Rub. ante Festum Corporis Christi inscriptam).

Hae duae postremae Octavae parum inter se differunt: prima enim non admittit, nisi duplicia 1ae classis, altera omnia duplicia occurrentia, et duplicia 1ae ac 2ae cl. translata : prima in die octavo omnia Festa excludit: secunda admittit solummodo officia 1ae classis.

Octava vero Nativitatis admittit non solum duplicia, sed etiam semiduplicia; attamen habet peculiare privilegium alteris duabus Octavis prorsus non concessum, idest recitandi

quotidie Antiphonas et Psalmos de Nativitate usque ad Vesperas 30 Decembris, *inclusive*: e particulari Rubrica manifeste patet. Aliud privilegium habet scilicet respuendi Praefationem S. Ioannis Ap. et Evangelistae, prouti Rubrica istius diei exprimit: « Praefatio et *Communicantes* de Nativitate ». Ad quid haec dispositio? Ut Incarnationis mysterium sit semper nobis praesens in obsequium huiusce solemnis Festivitatis. Insuper alia privilegia sunt cum alteris duobus communia :

1. De Commemoratione facienda : « De Octava Nativitatis Domini, Epiphaniae, et Corporis Christi semper fit Commemoratio, quocumque Festo in illis occurrente » (1). Qua de causa a Rubrica de istis Festis exigitur commemoratio? Ut quoties non fiat eius officium, saltem non relinquatur commemoratio de mysterio quod in illa Octava colitur.

2. De officio infra Octavam privilegiatam peragendo: In Dominica est peragendum de Octava et in Proprio pro primo Festo, si non occurrat duplex 1ae cl., pro secundo si non occurrat duplex quodcumque: pro tertio si Dominica incidit in diem 30 Decembris, nec adest aliquod officium perpetuo translatum.

En Rubrica generalis: « De Dominica infra Octavam Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis, et Corporis Christi occurrenti, officium fit sicut infra Octavam et in Proprio de Tempore cum Com. Octavae, et sine precibus et Suffragiis Sanctorum » (*Tit. IV, n. 2*).

At nobis obiici quit: Hoc privilegium conceditur Octavae Ascensionis: quae non est privilegiata : ergo nullum habet valorem pro casu nostro: Affirmamus antecedens, consequens negamus. Quod Octava Ascensionis non sit privilegiata, hoc a nullo Liturgistarum negatur : quod nullum habet valorem argumentatio nostra ratione huius gratiosae concessionis Octavae Ascensionis, id admittere

(1) Notandum post Tabulam Occurrentiae.

absolute non possumus: nos dicemus, quod Legislator, ratione magni mysterii in Festo Ascensionis contenti, hoc privilegium singulare voluit ad eam extendere sine offensione aliarum Octavarum. Si aliquis Sacerdos Summo Pontifici benevisus de quibusvis privilegiis episcopalibus condecoretur, forsitan quodpiam damnum dignitas Episcopalis patitur? Minime gentium: ita est autumandum de praedictis Octavis ante Octavam non privilegiatam Ascensionis fruentem de uno tantum ex aliquibus privilegiis privilegiatis collato.

3. De privilegio diei Octavae concesso. Omnis Octava privilegiata in die octavo respuit aut duplex 1ae cl., uti accidit in die octava Epiphaniae: aut etiam duplex 2ae cl. prouti de die octava Corporis Christi disponitur. Istud privilegium aeque Octava Nativitatis habet; in die primo Ianuarii quodcumque Festum duplex etiam 1ae classis excluditur, ut colatur Festum Circumcisionis Domini, necnon eius Octava. In *Notandum Tabellae occurrentiae* clare edocemur. Nec valet opponere quod istud Festum aliud respicit mysterium: quare quamvis id verum sit in parte, quod commemoretur Circumcisio Domini Iesu Christi iuxta Evangelium quod legitur in die: « Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer vocatum est nomen eius Iesus » (*S. Luc. II, 21*); nihilominus est semper Octava Nativitatis, et reapse, dum officium mysterium Circumcisionis commemorat, etiam de Nativitate loquitur, repetens quod lectum fuit in Breviario, et in Missa prima Nativitatis; et insuper tam in Breviario quam in Missali legitur: « In Circumcisione Domini, et Octava Nativitatis ».

4. De non celebrandis Missis votivis et pro defunctis. Aliud privilegium omnibus Octavis privilegiatis commune inest videlicet non celebrandi Missas votivas et de requie, nisi solemnes pro re gravi, et pro Defunctis etiam privatas praesente cadavere physice, vel moraliter.

Istud privilegium etiam Octavae Nativitatis extenditur absque ulla restrictione. Missa autem privata pro Defunctis

praesente physice vel moraliter cadavere, legi quit in istamet Octava, necnon infra Octavam Epiphaniae, excepto die octavo omne duplex 1ae cl. excludente, et infra Corporis Christi: ratio autem est quia praefata Missa privata prohibetur tantum in duplicibus 1ae cl.: in officiis duplicia 1ae classis reiicientibus, et in omnibus Festis de praecepto servandis (*Rub. Miss. p. I. Tit. V, n. 2*). Atqui dies infra Octavam Nativitatis Domini (excepto die octavo de praecepto servando) et Epiphaniae (praeter diem octavum omne duplex etiam ritus 1ae classis excludentem), ac Festi Corporis Christi non excludunt duplicia 1ae classis; ergo infra istas Octavas (nullo altero interveniente impedimento) Missas pro defunctis praesente, insepulto vel etiam sepulto, non ultra biduum, cadavere celebrari permittitur. Dispositio huiusmodi causam nostram minime dissolvit; nam si id permittitur in Octavis magis privilegiatis, a fortiori in minus privilegiata de Nativitate Domini.

Aemulus noster ita ratiocinatur: « Restrictio non celebrandi Missas votivas, et Missas pro defunctis infra Octavam Nativitatis non est causa privilegiatae Octavae, sed causa specialis interdictionis. » Quibus fundamentis eius argumentatio nititur? In decreto S. R. C. 28 Sept. 1675, n. 1549, quia in eo non fit mentio de Octava Nativitatis Domini? Quod ita esset res tunc, nullum est mirum: sed si istud privilegium temporis progressu Legislator extendere merito voluit ad Octavam Nativitatis, quid ad nos?

Quae legimus ad rem in dec. S. R. C. *Urbis et Orbis* 29 Sept. 1714 n. 2228, nunc nunc referimus: Ad augendam fidelium venerationem erga Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, eiusque cultum in toto terrarum Orbe promovendum, prohibitum est celebrare Missas votivas, vel pro defunctis infra Octavam Corporis Christi. Datum die 21 Iunii 1670, eodemque die a fel. rec. Clemente IX approbatum ».

« Item prohibitum est easdem Missas celebrare infra

Octavam Nativitatis Domini. Datum die 25 Septembris 1706, et iam a SS.mo approbatum ».

Hic non fit verbum de Octava privilegiata in utroque loco ; ergo iuxta amici sententiam inferre debueramus : utraque Octava Corporis Christi et Nativitatis Domini non sunt recensendae inter privilegiatas. Haec conclusio perfecte suae logicae responderet.

Hoc dilemma non effugitur: aut utraque Octava est privilegiata, aut non: ast Octava Corporis Christi, prouti omnibus notum est, inter privilegiatas enumeratur, ergo etiam Octava Nativitatis Domini est privilegiata.

At Competitor noster insuper suam firmat sententiam in dec. S. R. C. 9 Maii 1857 n. 3049 dub. 2, in quo vi indulti specialis Missae pro defunctis cani queunt ter in hebdomada (exceptis diebus 1ae et 2ae cl. festis praeceptivis, feriis, vigiliis et octavis privilegiatis). Hocce privilegium extenditur diebus II, III, IV, V Ianuarii, quamvis a Rubrica et S. R. C. istae vetantur. Quid mirum? Officium trium primorum dierum ritum dup. min. possident, proindeque *ex se* Missas votivas, et pro defunctis privatas non admittunt (salvis consuetis exceptionibus pro Missis votivis: pro defunctis permittitur Missa solemnis in die obitus aut depositionis, nec non pro die (in illo tempore) anniversario, et pro aliis diebus privilegiatis, *si a testatore indicati fuere*). Hodie vero, tam in praefatis diebus, quam in omnibus duplicibus min. et mai. (nisi adsit aliquod de enumeratis impedimentis) Missae pro defunctis de die VII, VIII, XXX, et anniversario canere fas est, si ab aliquo consanguineo, vel amico petatur, iuxta dec. S. R. C. 22 Martii 1862 n. 3112 dub. 2. Verum bona cum pace Competitoris nostri, ad casum nil refert eius argumentatio, quia impedimentum eorum dierum nullam cum Nativitatis Octava habet affinitatem: ergo omni valore eius argumentatio caret.

Quoad vigiliam Epiphaniae, haec non excludit nisi missas votivas et pro defunctis privatas. Dec. S. R. C. 10 Dec. 1718 n. 2256.

Postea, enumeratis singulis privilegiis quatuor octavarum propriis, dum de Nativitatis Octava loquitur, ita dicit: « Octava Nativitatis semper celebrata est, et nunc celebratur iuxta generalem occurrentiarum regulam, nisi excipias commemorationem, quae nunquam omittitur ».

Si attente privilegia uniuscuiusque Octavae observentur privilegiatae, non miramur eas gradatim aliquodpiam amittere privilegium. Et revera dum Octavae Paschatis et Pentecostes sunt ita clausae, ut absolute nullum admittant officium, cuiusque gradus illud sit, usque ad diem octavam inclusive, Octava e contra Epiphaniae admittit quodcumque officium duplex 1ae cl., die octavo dempto: Octava Corporis Christi etiam duplicia minora occurrentia, nec non duplicia 1ae ac 2ae cl. translata recipit, praeter diem octavum, in quo non peragitur nisi de officio 1ae cl. occurrente. Octava denique Nativitatis Domini, minus privilegiata quam praedictae, olim admittebat etiam officia semiduplicia occurrentia: sed tamen prae duobus postremis altero peculiarissimo gaudet privilegio, idest ut quotidie, occurrente quocumque Festo ritus dupl. 1ae classis in utrisque Vesperis Antiphonae, et Psalmi de secundis Vesperis Nativitatis Domini ad Capitulum usque *exclusive* recitentur, et hoc perduret usque ad diem xxx Decembris *inclusive:* insuper eius Comm., prouti superius innuimus, numquam deperdit: quum id Octavis privilegiatis sit commune, nempe Epiphaniae et Corporis Christi.

Hic nobis opponitur: Commemorationem huiusmodi non esse recensendam veluti peculiare privilegium, quia officia Dominicalia per annum, ferialia Adventus et Quadragesimae, Quatuor Temporum et secundae Rogationum, ac Vigiliarum de eis fit semper Comm. Respondemus: de tribus primis officiis in utrisque Vesperis, Laudibus, et Missis nunquam praetermittitur neque in dupl. 1ae cl. occurrentibus, de Quatuor Temporibus et 2ae Feriae Rogationum pariter fit semper Comm. in Laudibus et Missis tantum: de Vigiliis peragitur prouti de Quatuor Temporibus, sed

occurrentibus in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temp., vel diebus dup. 1ae cl. in officio nulla fit Commemoratio, sed in Missa tantum: nisi occurrant cum aliquo Festo 1ae cl., quo in casu etiam in Missa istam deperdunt.

Ast praesens aequiparatio ad rem criticem haud sustinet: hic enim agitur de Octavis, non vero de officiis dominicalibus, et ferialibus privilegiatis, de quibus si non peragitur officium, saltem Comm. non est praetermittenda, iuxta regulas indicatas. Si pro praedictis officiis non adesset talis dispositio, paucies commemorarentur, quia raro fieret de eis officium propter multa impedimenta rubricalia.

Aliae regulae peculiares Octavas regunt, quae cum officiis indicatis non sunt confundendae. Principium generale est, quod in diebus infra Octavas peragatur quotidie Comm. in utrisque Vesperis, in Laudibus, et in Missis, dummodo de Octavis officium non peragatur. Verba eadem Rubricae nos instruant: « Infra Octavas fit de Festis Duplicibus, et Semiduplicibus occurrentibus, ac etiam Duplicibus translatis, de quibus dicetur infra Tit. X de Translatione Festorum, cum commemoratione Octavae ». En exceptio pro Octavis generalibus: « Nisi illa Festa sint de solemnioribus enumeratis in sequenti Rubrica de Commemorationibus, in quibus nulla fit Commemoratio de Octava ». Deinceps fit contraria exceptio pro octavis privilegiatis « exceptis Octavis Nativitatis, Epiphaniae, Corporis Christi, de quibus fit semper commemoratio, quocumque Festo in illis occurrente ». Quae sunt Festa, in quibus de diebus infra Octavas non peragitur Commemoratio? Sunt omnia Festa duplicia 1ae et 2ae classis: in *Tabella occurrentiae* clare exponitur, quod occurrens aliquod Festum duplex 1ae ac 2ae cl. « Officium de primo, nihil de secundo ». Leo XIII, volens Romae cultum amplificare SS. Apostolorum Petri et Pauli die 5 Iulii 1883 ad III, disposuit: « De Festo SS. Ap. Petri et Pauli, die 29 Iunii, Romae agatur Commemoratio singulis Octavae diebus, quocumque Festo occurrente... » Ad quid hocce privilegium? Ad honorandam

eorum memoriam maiori cultu illic, ubi suum ministerium exercuere, et sanguinem proprium fuderunt. Tamen hoc unicum privilegium peculiare non affert aliquam mutationem substantialem in Octava privilegiata, sed demonstrat et pondus solemnitatis Festi auget, prouti evenit de Octava Ascensionis Domini, quae in Dominica infra Octavam libera, aut occurrente aliquo Festo semiduplici, officium fert de Octava cum Proprio de Tempore.

Sed insuper nota: Omne Festum habens octavam privilegiatam vigilia plus vel minus privilegiata fruitur; excepto Festo Corporis Christi, occurrente extra diem suum quod esset Feria V in Coena Domini. At Vigilia Nativitatis Domini est privilegiatissima, ergo etiam eius Octava debet esse privilegiata.

Argumentatio nostra tandem sequenti quaesito et responso S. R. C. maiorem vim adeo accipit ut invicta maneat:

Pluries S. R. C. decrevit ut infra Octavas privilegiatas celebrari non liceat anniversaria pro defunctis. Hinc quaeritur: Praeter Octavas Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi, debetne considerari « uti privilegiata etiam Octava Nativitatis Domini, » ita ut, et haec quoque anniversarium excludat? S. R. C. reponit (23 Febr. 1884, in Neapolitana ad 6 n. (5907-**3605**): Affirmative.

Quid aliud clarius requiritur? Si S. R. C. inquit, praefatam Octavam Nativitatis Domini esse recensendam uti privilegiatam, ideoque omnem adimit quaestionem: ergo inter privilegiatas est omnino recensenda, ac proinde Missae votivae et pro defunctis propter privilegium praedictum tantum vetantur, non pro quadam interdictione, utpote vult Competitor noster demonstrare.

Modo autem nos postulamus: si in hacce Octava quae est consideranda utpote privilegiata, prohibeantur Missae pro defunctis, quomodo permitti queunt vi praedicti indulti? Nos iure tenemus id numquam esse eventurum,

scilicet ut minus magni momenti praestans, maius vincat et antecellat. Insuper, admissa praefati indulti extensione ad istam Octavam, quid vetat, quod cani nequeat Missa pro diebus privilegiatis 3, 7 etc. Si id accideret unum cum altero decreto aperte pugnaret; istud minime est admittendum; ergo.. omnibus rationibus perpensis, in ista Octava Missae pro defunctis de diebus III, VII, XXX, ac anniversario, multo minus Missae quotidianae vi relati decreti n. 5907 absolute haud cantare permittuntur.

Forsitan ratiocinatio nostra infirmabitur a plerisque rerum Liturgicarum Auctoribus. Non inficiamur de veteribus auctoribus, qui in nostra bibliotheca prostant, duos solummodo nostram profiteri sententiam aliosque multos de recentioribus fieri eorum sectatores, affirmantes inter Octavas privilegiatas non esse enumerandam Nativitatis Domini Octavam. Nihilominus in nostra aetate plerique insunt Auctores S. Liturgiae, et in hac arte peritissimi, qui oppositum tenent, quorum auctoritas dilucide manifestat, nos in incertum minime ambulare.

Ex antiquis scriptoribus, antea a nobis indicatis, auctoritatem senioris, qui in prima parte saeculi praeteriti vixit, referimus. Iste est quidam Ceracchini, Gavanti fidelis sectator, qui tamen minime cum eo convenit; et quamvis non audeat aperte Nativitatis Domini Octavam vocare *privilegiatam*, attamen ei nomen peculiare tribuit quod, idem significat, scilicet in italo idiomate *straordinaria* aut *irregolare*. Eius sermocinationem hic narramus veluti in opella prostat: « Le Ottave, ipse ait, si dividono in Ottatave di primo grado, di secondo, di terzo e di quarto. Nel primo grado sono le Ottave di Pasqua e Pentecoste: nel secondo grado l' Ottava dell' Epifania: nel terzo l'Ottava del *Corpus Domini*: nel quarto grado quella della Natività del Signore, dell'Ascensione e di tutte le altre feste che hanno l' Ottava... Io però anterius observat, io però in buona pace del Gavanto, celebre Autore, toglierei dalle Ottave del quarto grado *unicamente* quella della Natività

di N. S. Gesù Cristo, non essendo ella in molte cose conforme alle altre... e così l'Ottava del Signore la chiamerei *straordinaria* o forse anche *irregolare*: non perchè in sè non sia santamente, e per così dire divinamente ancora ordinata; ma perchè ella del tutto dalla regola delle altre molto si allontana ».

Dum postea ex professo loquitur de aliis Octavis ita prosequitur: «L'ottava finalmente del Signore si addimanda Ottava *straordinaria*, o come si disse *irregolare*. Ammette ella ufficio e Messa dei Ss. Stefano Protom. di S. Giovanni Ev. e dei Ss. Innocenti tutti doppi di 2ª classe. Ammette i doppi minori come S. Silvestro, ammette i semidoppi come S. Tommaso Vescovo; ammette nella 2.ª Messa la Com. del semplice cioè di S. Anastasia, non già nell'ufficio, come nè meno nella 1.ª Messa, perchè l'ufficio è tutto della Natività del Signore, e delle Messe la prima è più solenne della soconda... In questa Ottava per decreto del 25 Sett. 1706 sono proibite le Messe votive e di Requie... In questa Ottava vi è una cosa di particolare, che tutte le feste, che in essa occorrono anche di 1.ª classe, hanno amendue i Vespri tanto il primo quanto il secondo con le Antifone e Salmi della Natività del Signore, mutando e dando solo i propri Capitoli, Inni, Versetti ed Antifona al *Magnificat* con quest'ordine a ciascuna festa che occorra: raddoppiando ne' doppi ed accennando nei semidoppi, eccettochè nel 2.° Vespro della Natività, che tutto è della Festa antecedente con la com. del seguente, anche in quelle Chiese ove S. Stefano è Titolare... Di questa Ottava dovendosi fare sempre Comm. essendo ottava di Festa privilegiatissima, così per la medesima ragione non perde il Prefazio proprio, come non lo perde per la Festa di S. Giovanni... ultima prerogativa di questa Ottava si è, che il suo Prefazio, proprio della Natività, lo conserva anche compita l'Ottava sino alla Vigilia dell'Epifania inclusivamente (1).

(1) Dubbi sulle Rubriche vol. I, dubbio VI. Firenze 1726.

Praefata expositio longe a perfectione a nobis concupita remanet, verumtamen si considerentur tempora in quibus edita fuit, aliquantulum auctor progressus est, auferens se ab ineptiis tunc temporis communibus, aliique modum suppeditans perfectum tandem attingendi.

Romae vivens saeculo XVIII quando iam a fine parum aberat, maiori perspicuitate securitateque verbum facit: «Hoc festum (Nativitas Domini) celebratur die 25 Dec. quia creditur hac die Christus in Bethlehem natus; estque, si excipiantur Pascha et Pentecostes, celebrius in toto anno; habet quippe Ritum primae classis cum octava privilegiata; nam quocumque Festo occurrente, etiam Patroni, habet Vesperas usque ad Capitulum, et commemorationem sibi vindicat in Vesperis, Laudibus et Missa, illustraturque privilegio singulari, quo licet cuilibet Sacerdoti hac die ter Missarum solemnia celebrare (1).

Hic veter auctor post se recentiores habet sectatores. Cl. De Herdt sequens tenet clarum eloquium: «Dividuntur praecipue in octavas privilegiatas et non privilegiatas. Privilegiatae sunt octavae Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschae, Pentecostes et Corporis Christi, inter quas tamen una est magis privilegiata quam alia (2) ».

A Carpo eadem verba repetit. Octavae dividuntur in privilegiatas et non privilegiatas. Privilegiatae sunt: Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis Pentecostes, et Corporis Christi; ex quibus tamen una est magis quam altera ut suis locis videbimus. (3)

Maugère, qui opellam suam magno studio confecit, Octavam Nativitatis Domini inter privilegiatas recenset, aiens: «Octavae privilegiatae sunt quinque, in quatuor classibus dividuntur iuxta privilegia quibus fruuntur: 1. O-

(1) Opera Liturgica, tom. 3, art. 2, N. VIII.
(2) Sacrae Liturgiae Praxis, tom. I, n. 21.
(3) Compendiosa Bibliotheca Lit. p. II, n. 188.

ctavae Paschae et Pentecostes: 2. Epiphaniae: 3. Corporis Christi: 4. Nativitatis Domini. (1) ».

Patroni, Gavantum, Merati, Cavalieri plerosque alios oppositum nostrae opinionis profitentes sequitur, tamen remanens haesitabundus, sequentem adnotationem facit: « Perchè in ogni caso i vespri dell' Ottava del Natale si regolano sempre con Rubriche particolari per *questo capo io non avrei difficoltà di chiamarla anche privilegiata* » (2).

Cl. Stella in sua opella « Introduzione allo studio della Sacra Liturgia al Trat. II, cap. 3, § 2 » ad hoc sic aiebat: « In quanto poi alle ottave *non privilegiate*, che sono *quelle di Natale*, dell'Assunzione ecc. » Cum scriberet praedictam operam manifesto apparet quod Nativitatis Octavae quodpiam privilegium negaret: ast similem opinionem semper tenuit? Minime: consideratis iterum atque iterum pluribus Octavae Nativitatis Domini privilegiis tributis, mutato consilio, inter privilegiatas deinceps numeravit quando alia scripta edidit. In « *Institutiones Liturgicae* » in *Ephemerides Liturgicae* inscriptis liquido hanc novissimam eius opinionem aperit: quod ad nos facit trascribimus:

« Queres 6. Utrum discrimen intercedat in octavis, quodnam sit, et quaenam ratio?

Res. 1. Diversas inter se esse octavas, ut aliae ab aliis distinguantur, dubitari non potest; infertur enim evidenter ex Rubricis Breviarii (Tit. VII, n. 3).

Resp. 2. Quinque octavarum ordines recenseri possunt: 1. Octavae Paschatis et Pentecostes, quae in decursu quodcumque Festum excludunt, tribusque primis diebus quamcumque etiam commemorationem. 2. Octava Epiphaniae quae duplicia tantum 1ae cl. in decursu admittit, cum com. Octavae, non tamen in die octava festi, 3. Octava Corporis Christi, quae duplicia in decursu occurrentia admittit, et translata nonnisi 1ae aut 2ae cl., semiduplicium

(1) Breviario Rom. Comm. pag. 147.
(2) Lez. di Liturgia, vol. I, lez. XI, n. 98.

autem nonnisi commemorationem suffert, de ea vero semper fit comm. etiam in occurrentibus duplicibus 1ae cl.; dies tamen octava solum duplicibus 1ae cl. cedit. 4. Octava Nativitatis Domini, quae etiamsi semiduplicia in decursu admittat, de ea fit com. in dup. 1ae cl. occurr., octava tamen dies nulli festo cedit. Hae octavae privilegiatae dicuntur (1) ».

Directio « Ephemerides Liturgicae » sequentem adnotationem posuere : Pro Clero Romano octava quoque SS. Petri et Pauli privilegiata evasit ex S. R. C. decreto 1883, eo quod de ea fit Romae commemoratio etiam in occurrentibus duplicibus 1ae cl. (2).

Quod huic octavae Romae pro rationibus superius allatis a nobis, privilegium peculiare concedi voluit a summo Pontifice, et sub hoc respectu appellari queat *privilegiata*, concedimus : quod autem *ex se* sit privilegiata ita ut aequiparari quinque enumeratis valeat, absolute negamus. Dempto enim hocce privilegio, ab aliis ordinariis, prorsus non distinguitur : ergo non potest *in strictu sensu* vocari privilegiata, sed solummodo in *lato sensu*.

Altero in loco, Cl. Stella suam voluit explicare opinionem sequens quaesitum emittendo cum responso.

« *Quaeres*. Quibus fruatur privilegiis octava Navitatis? Resp. 1. De Octava Nativitatis fit semper commemoratio, etsi festum 1ae cl. occurrat. 2. Vesperis fruitur infra octavam semper ad Capitulum usque, quocumque alio occurrente festo, a quo tamen ritum vel semiduplicem, vel duplicem sumit. 3. Octava dies adeo privilegiata est, in qua Domini Circumcisio, etsi ritus dup. 2ae cl. recolitur, ut nulli festo cedat. 4. Si Nativitas in Dominicam incidat haec vacat (3).

Ab hacce clara expositione, diserte apparet, non fortuitu

(1) Apud *Ephemerides Liturgicae* an. IV, fol. 58.
(2) In nota fol. cit.
(3) Apud Eph. Litur. an. V, fol. 345.

consilium auctorem mutasse, sed postquam rem perquisite expendit.

Cl. amicus noster charissimus D. D. Petrus Piacenza omni claritudine Octavam Nativitatis Domini esse privilegiatam nos edocet, quamvis inter privilegiatas postremum teneat locum. En quomodo ratiocinatur : « En ergo festa omnia Universalis Ecclesiae, quae cum octava celebrantur: Duplicia 1ae classis: 1. Pascha Resurrectionis: 2. Pentecostes : 3. Epiphania Domini : 4. Festum Corporis Christi : 5. Nativitas Domini nostri Iesu Christi : 6. etc...

Ob rationes, quas infra feremus, Octavae aliquae privilegiatae dicuntur, ideoque ordo festivitatum 1ae classis supra expositus, iuxta maiorem cuiusque festi excellentiam, ac dignitatem descriptus est : et Octavae, quae subsequuntur primas, quia quae ex praedictis festivitatibus, plus minusve privilegiatae dicuntur ».

Inferius subiungit « Exceptis octavis Nativitatis, Epiphaniae, et Corporis Christi, de quibus fit semper commemoratio quocumque festo in illis occurrente : quamqnam est duplex I. classis in aliquo loco solemnissimum. Quia festa Nativitatis, Epiphaniae, et Corporis Christi ex solemnioribus sunt in Ecclesia Dei , ob magnitudinem mysteriorum, quae in eis commemorantur : quocumque ergo festo infra eorum octavas occurrente, de eis agenda est commemoratio, proindeque *hae octavae dicuntur privilegiatae.* (1) ».

Tandem Ercher dilucide hanc materiam illustrat : « Est distinctio inter octavas: Aliae enim privilegiatae, aliae non privilegiatae seu communes. Privilegiatae sunt quinque numero : Nativitas Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes , SS.mi Corporis Christi , sed non omnes eodem modo : Hoc quidem omnibus commune est privilegium ut infra has octavas, licet ritus sit semiduplex, non admittantur Missae votivae privatae , et Missae de Requiem.

(1) Expositio novissima Rub. Brev. Rom. n. 172, ac 188.

Quoad festa admittenda autem non omnes eodem gaudent privilegio. Aut enim quodcumque festum respuunt, quales sunt octavae Paschatis et Pentecostes; aut nonnulla festa admittunt, ita tamen ut eorum semper fiat commemoratio etiam in festo primae classis, quales sunt octavae Epiphaniae, Corporis Christi, et Nativitatis Domini. Reliquae autem octavae non privilegiatae seu communes, quodcumque festum etiam semiduplex admittunt, ita quidem ut occurrente festo duplici primae vel secundae classis amittant etiam ius ad commemorationem (1) ».

Exiguus est numerus Auctorum rerum Liturgicarum a nobis relatorum prae aliis, qui adversam profitentur opinionem, nihilominus pauci a nobis allati vocari nequeunt pedissequi caeci, aut materiales scriptores, qui sine ulla consideratione ea, quae invenerunt, exaraverunt; unusquisque ex lectoribus nostris novit virtutem in re Liturgica Cl. D. D. Piacenza, nec non Cl. b.m. Maugére, ut de aliis taceamus, qui consulte egerunt in hac materia tractanda. Certum est, quod in antiquo res satis dubia esse poterat, quia legislator non dilucide loquutus erat; sed hodie nescimus quomodo contraria via teneri valeat, sicuti revera tenent Fornici, Gasparri, Lerosey, Veneroni inter novissimos auctores.

Omnibus hucusque pro et contra expositis, ad conclusionem definitivam pervenimus dicentes: Octava Nativitatis Domini Iesu Christi est privilegiata, sed inter privilegiatas postremum occupat locum, quia minoribus fruitur privilegiis prae aliis, et haec sunt sequentia: 1. Prohibitio celebrandi Missas votivas et pro defunctis, iisdem conditionibus aliarum Octavarum privilegiatarum concessis. 2. Exclusio antiphonarum et psalmorum cuiusque. Festi etiam 1ae cl. ad Vesperas usque ad Capitulum, quia de Nativitate Domini iugiter usque ad Vesperas 30 Decembris *inclusive* recitari debent, iuxta peculiares Rubricas. 3. Dispositio nun-

(1) Enchiridion Liturgicum, sec. 1, Tract. III, cap. IV, 34 n. 4.

quam praetermittendi Commemorationem eiusdem Nativitatis. 4. Privilegium in die octavo festum quodcumque etiam duplex 1ae cl. excludendi. 5. Vigilia privilegiatissima fruendi, prouti de aliis Festis octavas privilegiatas habentibus agitur, praeterquam de Festo Corporis Christi.

Quum igitur certissimis comprobaverimus argumentis Octavam Nativitatis Domini esse privilegiatam, consequitur ut infra eam non possint celebrari Missae votivae et pro defunctis, non interdictionis ratione, prout se exprimit Competitor noster, sed propter Octavam privilegiatam. Neque in ea permittitur, vi indulti, ter in hebdomada Missas pro defunctis celebrare, nam in eo non comprehenduntur dies infra Octavam privilegiatam occurrentes, prouti in praedicto decreto distincte edicitur: exceptis Feriis, vigiliis, Octavis privilegiatis, et Festis de praecepto, duplicibus 1ae et 2ae classis.

Hanc nostram sententiam penitus convicti profitemur, nec ab ea recedemus, donec aliter S. R. C. quaestionem explanaverit.

Castri Palatii, IV Idus Decembris 1899.

Nivardus Bossi
Plebanus S. Stephani.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *E Budvicio Bohemorum.* **De benedictione Cinerum separabili a Missa.** Iuxta *Notam* in N. 11, praes. a. paginae 697 allegatam, *Benedictio Cinerum* fieri potest etiam separatim a Missa, data rationabili causa (docente sic cl. *Stella*). Cum tamen eadem « E. L. » anno 1896 pag. 190

(6.) et 442 (V.), itemque anno 1897, pag. 123, *Feriam IV. Cinerum* adnumerarunt diebus Missam exequialem solemnem in Ecclesia paroch. cum *unica* tantum Missa prohibentibus : Quid tenendum ?

Resp. Esse benedictionem Cinerum *per se* a Missa separabilem diximus et tenemus, data tamen rationabili causa. Eiusmodi enim benedictio est in bonum fidelium; at fieri facile potest, ut fideles Missam parochialem et a fortiori conventualem expectare nequeant quo in casu nihil obstat ut anticipetur. Hinc cl. De Herdt scribit: « In Ecclesiis, in quibus benedictio Cinerum sine cantu peragitur, **vel ubi populus usque ad Missam solemnem expectare non potest**, Cineres privatim benedici possunt etiam summo mane etc. (*Prax. Lit. pars 5, n. 20, 8*) ». Vix vero innuendum, ex hoc non sequi, ut benedictio Cinerum fieri possit ab uno, altero autem Sacerdote canente Missam, quae illam sequitur: quod S. R. C. reprobat.

Nunc autem opponitur, Missae exequialis vetitum cum praefata separabilitate non posse componi. Ratio, ni fallimur, est, quia in Ecclesiis saltem parochialibus ubi una tantum haberi potest Missa feria IV Cinerum, eadem Missa debet esse de die; idque non alia de causa, nisi quia illam benedictio Cinerum praecedere debet. Si ergo haec benedictio potest a Missa separari, iam cessat ratio ex qua Missa exequialis ea die prohibetur. Sed reponimus, non solam benedictionem Cinerum constituere rationem vetiti exequialis Missae, sed benedictionem una cum Missa propria diei. Cum enim haec una tantum esse queat, exigit Ecclesia, ut illa in parocciis sit de die. Parochiales namque Ecclesiae quibusdam diebus, uti in Dominicis et festis, etiam suppressis, assimilantur Collegialibus, in quibus Missa conventualis, hoc est officio respondens, non debet omitti. Inter hos dies, ratione mysterii temporis, adnu-

meranda est etiam feria IV Cinerum, in iis saltem Ecclesiis, sive Collegialibus, sive quae aut ratione fundationis aut consuetudinis Missa plusminusve solemnis haberi solet. Dies enim Cinerum quid magis esse videtur quam feria II Rogationum, et dies II Novembris: ut proinde si in his Missa exequialis sit vetita, etiam in illa vetita dicenda sit, quando, inquam, conventualis aut quasi-conventualis haberi per aliam Missam nequeat.

Facile tamen hoc inferes, quod sicut quando facienda non est processio, neque Missa Rogationum obligat, et sicut quando officium defunctorum dici nequit, nec Missa exequialis prohibetur die secunda Novembris; ita a pari nec Missa eadem exequialis prohibita dicenda est in feria IV Cinerum, quando harum benedictio, immediate ante Missam iusta de causa debet omitti.

II. *E Gallia.* **De approbatione et sigilli qualitate in Reliquiis.** Potestne Episcopus Ordinarius approbare Reliquias, quas alter de illius commissione recognovit, et sigillo non episcopali munivit, inscripta tamen facultate ab eodem Ordinario facta?

Resp. Notum est satis, unumquemque posse aliquid facere, vel per se vel per alium, ut quod aliquis per alium facit, per se ipsum faciat. Profecto nemo iure potest de authenticitate Reliquiarum dubitare, quas Ordinarius per se recognovit approbavitque; ergo nemini quoque ius esse potest dubitandi de Reliquiarum authenticitate, quas Ordinarius per alium approbavit. Quid autem de sigillo non Episcopi proprio, sed alieno? Etenim in litteris, quae approbatas Reliquias comitantur, Episcopus testari solet: se eas *proprio sigillo* muniisse: quod non comprobatur in casu. At reponimus, sigillum quidem in casu non esse proprium Episcopi, sed ipsemet Episcopus facit aliud sigillum adhibendi facultatem, cuius insuper inscribitur in

litteris authenticis acceptio. Videtur ergo sigillum huiusmodi, quamvis ad Episcopum non pertineat, episcopali sigillo aequivalere, ut de Reliquiarum authenticitate dubitari iure nequeat.

Sed ulterius potest inquiri, utrum ita se gerere Ordinario expediat. Respondemus, generaliter loquendo negative, incommoda vitandi causa, quae suboriri fortasse possunt. In casu tamen proposito prout in litteris ad nos datis significatur, nihil arguendum esse censemus. *a*) Quia de authenticitate, re in se spectata, dubitari nequit. *b)* Quia agitur de persona, qua Ordinarius pro recognitione utitur, omni exceptione maiori. *c*) Quia Reliquiae in casu pro Ecclesiis tantum aut Oratoriis Religiosae Communitatis inserviunt. *d*) Hinc nullum incommodum timeri debet. Ea propter ad propositum dubium affirmative reponimus.

III. *Ex Urbe.* **De sensu verbi *solemniter* in Missis defunctorum.** Ex iis, quae dicuntur in Ephemeridibus (1897 pag. 37) super verbo *solemniter*, abunde patet, Missam de requie tunc tantum *solemniter* celebrari quando fit in cantu. At in num. 11 elapsi anni 1899 dicitur esse *solemnis*, seu *solemniter* celebrari etiam Missa lecta: quid dicendum ?

Resp. In Dubio 9 pro Polonia (*loc. cit.*) agitur peculiariter de verbo *solemniter* applicando Missae, quae haberi potest *post acceptum nuntium obitus*, *et in anniversariis late sumptis*, quando fit officium duplex. Hic est sensus responsi brevioris cuius dubium relativum brevitatis gratia omittitur. Hinc iure infertur, *Missam in casu solemniter celebrari, hoc est solemni aequivalere, sive cum ministris sive non, dummodo sit in cantu*, quia lecta est vetita. In num. autem 11 praeteriti anni verbum *solemniter* applicatur etiam Missae lectae, quae diebus privilegiatis dicitur: et quidem recte. Quia unam habet Orationem, et

Sequentiam praeceptivam, sicut quae cum ministris vel in cantu celebrantur. Si tamen lectas tantum excipias pro die obitus, aliae Missae lectae diebus privilegiatis fieri nequeunt, nisi semiduplici occurrente ritu. Si ergo a ritu abstrahas, omnes Missae lectae, quae peculiariter diebus privilegiatis dicuntur, solemnes dici possunt, seu *solemniter* celebrari, quatenus ad instar solemnium dicuntur. Hoc sensu autem loco superius citato dicitur, *unicam Orationem esse dicendam quandocumque pro defunctis* **solemniter** *celebratur*, uti ait Rubrica : *quod intelligendum est et de Missis lectis diebus privilegiatis pro defuncto applicandis*, si tamen, generaliter loquendo ritus illas permittat. Animadvertimus, solutiones dubiorum, obscuras quandoque evadere (non tamen pro iis, qui ea proposuerunt), quia dubia supprimuntur : quod spatii maioris lucrandi causa hucusque egimus. At, cum plures de hac saepe obscuritate conquesti fuerint, deinceps non amplius dubia supprimemus, quando ea maior rei claritas exposcet.

IV. *Ex Oppido Vicario Segobricensi.* **De tempore, quo Cereus paschalis manet accensus.** Cereus paschalis accendi ne debet *a*) in Missa Vigiliae Pentecostes; *b*) in Matutinis solemnibus ; *c*) in Missis ferialibus ?

Resp. Rubricae Caeremonialis Episcoporum et Missalis adeo parcae sunt, ut de tempore illum accendendi et extinguendi vix loquantur. Non tamen Decreta desunt et probati auctores, ex quibus res declaratur. Itaque Rubrica Caeremonialis et Missalis de eo accendendo post illius benedictionem explicita verba faciunt: ultima autem Missalis notat, illum esse extinguendum et amplius non accendendum, nisi ad benedictionem Fontis in Sabbato Pentecostes, post Evangelium in Missa festi Ascensionis. Extat autem Decretum in *Placentina* d. d. Maii 1607 ad 11, quod satis perspicue docet: « Cereus paschalis regulariter

accenditur ad Missas et Vesperas solemnes in tribus diebus Paschae, Sabbato in Albis, et in diebus Dominicis usque ad festum Ascensionis D. N. I. C., quo die, cantato Evangelio, extinguitur ad Missam; et in aliis diebus et solemnitatibus etiam solemniter celebratis non accenditur, nisi adsit consuetudo, quod durante tempore paschali accendatur, quae servanda esset (351) **235** ».

Ex quo sequitur quod sapienter Gavantus animadvertit: « Romae varia est consuetudo, a peritioribus haec laudatur, ut a latere Evangelii ille ardeat a Sabbato Sancto usque ad Dominicam in albis inclusive, quia est unicum Resurrectionis festum, *ex Ord. Rom.*, ad Missam et ad omnes Horas. Praeterea diebus Dominicis a primis Vesperis usque ad secundas et Completorium, ad Missam et Horas; quia Dominica est repetitio festi Resurrectionis Christi, etiam per annum, nedum paschali tempore, quem ritum tradit *Samarinus in thes. Sacerdotali*, *tit. de Cereo pasch.* nimirum ad utrasque Vesperas et Missam Dominicae, et in Ascensione ad omnes Horas usque ad Evangelium Missae: quod si dicatur Missa parochialis, seu Conventualis non solemnis, ad eam item die Dominico accendi potest... Postremo, a primis Vesperis Ascensionis Domini, usque ad finem Evangelii Missae solemnis seu parochialis seu Conventualis non solemnis, in aliis diebus nunquam accenditur (*Pars IV, Tit. X, n. 48 et 49*) ».

Super quibus notat Meratus: « Ultra dies a Gavanto descriptos, in quibus accendi debet Cereus paschalis, placet etiam, imo videtur conveniens usus accendendi dictum Cereum in festis Apostolorum, Patroni ac Titularis et Dedicationis Ecclesiae, et in omnibus festis Sanctorum, de praecepto, imo et in diebus festis Sanctorum, non de praecepto, sed solemniter celebratis... Item accendi potest... in omnibus festis Sanctorum... in Missis votivis solemni-

bus pro re gravi, dummodo non adhibeatur color violaceus: unde non est accendendus in Missis maiorum minorumque Litaniarum et in aliis similibus, et a fortiori accendi non debet in Missis defunctorum licet cantatis... Advertendum tamen est, quod in die Sancto Paschae accenditur dictus Cereus ad totum Matutinum solemne et Laudes, item in Missa ad Vesperas et Completorium. Duabus vero sequentibus Dominicis et festis Sanctorum accenditur ad Laudes, Missam solemnem et Vesperas. *Ex* Castaldo *Lib. 3, Sect. 9, cap. 8, n. 3, et 4*, Bauldry *supra n. 24*. Memoriale Rituum *supr. n. 17 De Vesp. Sab. Sanct. a n. 1 ad 6 usque inclusive*. Haec praefatus auctor (*Loc. cit. apud Gacant. n. LXVII*) ». Compleat relata *Memoriale Rituum*, cuius in sequenti n. LXVIII ipsemet Meratus verba refert: « Quo dicto (*Evangelio in festo Ascensionis*), Cereus extinguitur, et completa Missa, removetur e candelabro, et servatur accendendus in Vigilia Pentecostes ad Benedictionem Fontis (*Tit. VI*, § *VII*, *n. 6*) ».

His auctoritatibus omni profecto exceptione maioribus perpensis, facile patet ad dubium propositum certa responsio: *a*) Cereus paschalis accendi debet in Vigilia Pentecostes, sed tantummodo ad Benedictionem fontis: *b*) In Matutinis solemnibus accendi potest iuxta consuetudinem: *c*) In Missis ferialibus accendi non debet.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Milwanchia in America.* Die 31 Oct. occurrit festum B. Thomae a Florentia Conf. semidup. in quo 2.ª Oratio Missae esse debet de Vigilia Omn. Sanctorum, 3.ª vero, vi Rubricarum, *A cunctis.* Sed cum haec convenire videatur, quoad rem, cum Oratione Vigiliae, mutari nē potest in aliam de Spiritu Sancto ?

Resp. Negative, non enim comprobatur allata ratio. Sane in Oratione *A cunctis* invocatur patrocinium plurium Sanctorum in specie, omniumque in genere, pro obtinenda pace, errorum et adversitatum destructione, ac libertate Ecclesiae. In alia vero de Vigilia Omn. Sanctorum imploramus a Domino gratiae multiplicationem, ut Sanctorum quorum solemnia praevenimus, habere quoque possimus, in nostra professione, laetitiam. Casus, de quo agit De Herdt (Tom. 1, n. 42, 4.°) prorsus est alius ; loquitur enim de duabus Orationibus, quae eaedem fere sunt, eumdemque finem habent, uti videre est conferenti inter se Orationes *Concede*, quae prima est inter Orationes diversas, et *A cunctis.*

II. *Pro eod. loco.* Ubi festa solemniora, quae impediunt Missam exequialem, totaliter dispensata sunt, uti in Statibus Unitis Americae, adeo ut neque solemnitas externa transferatur in sequentem Dominicam, eadem Missa impedita manet die festo. In hoc enim officium integra cum solemnitate externa ecclesiastice recolitur, et haec Missam exequialem impedit.

III. *Pro Polonia.* Iuxta ea, quae in num. 9 anni proxime morituri dicta sunt (pag. 598), non sunt suspen-

sae tempore Iubilaei Indulgentiae, quas concedere possunt Episcopi locorum Ordinarii. Neque interesset, si Indulgentia aliqua, esto plenaria, pro aliquibus peculiaribus rerum adiunctis, alicui Ordinario ex privilegio singulari concessa fuisset, semper enim comprobaretur, eam dari posse ab Episcopo, quae autem dari ab eo possunt Indulgentiae non cessant. At sunt ne in *forma consueta*? Hinc dubitamus.

IV. *Pro Tiferno.* Tres parochi hic extant qui ex privilegio in processione SS. Corporis Christi habitu canonicali induti, imo et pluviali, more Canonicorum, incedunt immediate ante ipsos Canonicos, cum quibus tamen non miscentur. Cum autem Canonici bini incedant, quaeritur an tertius parochus senior, medius procedere debeat inter alios duos, an potius solus, an denique una cum iuniore ex Canonicis?— Reponimus tres simul eos debere incedere, neque unum solum in alia linea, neque una simul cum iuniore Canonico. *Non unum solum* dicimus, quia solus incedere uni Episcopo convenit; ergo si in ultimo loco, ait De Herdt de Canonicis agens, numerus impar remanserit, tres ultimi seu digniores simul incedunt (*Pr. Pontif. Lib. 2 n. 224*): quod pariter esse in casu applicandum facile, patet. *Neque una simul cum iuniore Canonico*, quia Canonici unum corpus efficiunt, et soli incedere inter se debent, non autem cum aliis inferioribus, ut proprium ordinem servent. Nec valet ratio humeros vertendi erga Sacramentum contra id quod faciendum diximus, quia ordo processionis ita exigit, ut alii antea, alii retro incedant; ultimo deferatur Sacramentum.

V. *Pro Lincio.* His, quae alibi diximus (*n. 7, pag. 462*), inhaerentes, addimus verba cl. De Herdt, quae satis perspicue docent quo se vertere debeat Diaconus praeconium cantans: « Diaconus accepta benedictione, descendit... et vadit ad.... locum praeparatum in plano ad cornu Evan-

gelii... Ibi in linea recta (*cum aliis ministris*) se constituunt, ut supra in Rubricis praescribitur, ita ut Diaconus sit in medio, omnes faciem versus librum vertant, et latera dextra versus altare habeant (*Pr. Lit. pag. 3, n. 61*) ». Hinc patet Diaconum ita se vertere debere, uti fit ad Evangelium, id est quodammodo versus populum, sed proprie et praecise cum facie ad cornu Evangelii, et humeris quasi versus Celebrantem, non autem cum facie versus medium altaris, vel Celebrantem ad cornu Epistolae stantem.

VI. *Pro oppido Vivario Segobricensi.* Quaeritur utrum in Ecclesiis parochialibus clerum habentibus debeat cani secunda Missa diebus Rogationum et Vigiliarum, et si tantum una, quaenam Missa canenda, Festi, Vigiliae, Feriae etc. — Reponimus: aut Ecclesiae parochiales sunt Collegiales, id est Cathedrales vel Collegiatae, aut non. Si primum, tenentur indubie ad secundam Missam de Rogationibus, ubi saltem fieri debet processio (Decr. 4669 — 2682 ad 35): si alterum, posita processione, Missa quidem Rogationum dicenda, sed esse necessario non debet secunda, cum esse possit prima. Etenim Ecclesiae parochiales, eo ipso quod sunt eiusmodi, non sequitur eas esse quoque Collegiales. Porro Rubricae et Decreta circa plures Missas Conventuales non respiciunt parochiales Ecclesias, nisi et Collegiales sint. Immo eiusmodi Ecclesiae neque ad unam conventualem tenentur, nisi diebus festis, quatenus Missa parochialis officio respondere debet : quae tamen neque stricte conventualis est, ut quasi conventualis appelletur quia officio respondet, sed Canonicorum conventum habere non potest. Quod si clerum habeat, nil refert, nisi sint Canonici, uti patet. Parochus ergo, uti alii presbyteri coadiutores, si sint, Missam legent, prout ritus exigit, et non aliam. Hinc diebus Rogationum, occurrente

duplici, Missa una tantum de praecepto est, aut de iisdem Rogationibus, si consuetudo processionis vigeat, aut de duplici si processio non fiat. In Vigiliis, in Feriis etc. harum Missa non potest dici, nisi ritus diei id sinat.

VII. *Pro cod. loco.* Missam Rogationum esse de poenitentia nemo non novit, in qua proinde organa non permittuntur. Nihilominus Caeremoniale Episcoporum nonnullam hac super re ab aliquo tempore passum est mutationem. In num. enim 13, Cap. XXIX dicitur, in Missis defunctorum, pro sola musica comitanda tamen, organa posse adhiberi; et postea additur: « Quod etiam tempore Adventus et Quadragesimae in ferialibus diebus convenit adhiberi ». Si ergo hac cum limitatione, et ex quadam necessitatis ratione, organa adhiberi permittuntur in feriis Adventus et Quadragesimae, facile sequitur, eadem cum limitatione, ex eademque necessitate, organa adhiberi posse in Missa Rogationum. Quae nihilominus, aliqua cum trepidatione dicimus, quia praefata mutatio recenter invecta, expungenda erat, uti certa nobis scientia constat, sed hucusque nihil adhuc factum est nil tamen mirum ut fiat.

VIII. *Pro Aretio in Thuscia.* Recitatio Rosarii pro Mense Octobri Indulgentias habet adnexas: quae lucrifieri nequeunt nisi et praescriptae dicantur preces, et determinato in concessione tempore. Si ergo dispensatio data est pro tempore ut eae dicantur mense Novembri vel Decembri, nil in contrarium animadvertimus, ex voluntate concedentis dependet. Verum ex proprio arbitrio rem mutare, ut pro mense triginta dies accipiantur, quindecim unius, et alii quindecim alterius mensis; et a fortiori alio a praescripto tempore preces recitare per aliquot dies, et pluries abrumpere, ut iterum resumantur, quid nimis esse credimus, quod Indulgentiarum acquisitionem impedit. Si prima accepta est dispensatio, quare altera non postulatur?

IX. *Pro eod. loco.* Quod duo clerici, a fortiori duo subdiaconi, dalmaticis induti, quin tamen indumenta ferant ipsis vetita, assistant Officium agentem in Triduis ac Novendialibus sacris ad altare, non videtur improbandum, sed tolerandum, data necessitate, seu ministrorum defectu. Agitur enim, non de Missa, sed de his functionibus, in quibus nullo funguntur munere sacrorum ministrorum proprio, quamvis eorum figuram, externarum ratione vestium, repraesentent. Cavendum nihilominus, ut tales sint clerici, ne ministeria ipsaque indumenta ministrorum parvipendantur.

X. *Pro eod. loco.* In choro, tempore liturgicarum functionum, solis clericis talari veste et superpelliceo indutis ingredi presbyterium de iure conceditur. Laicis in civili habitu, cuiuscumque sint dignitatis, regia excepta, exceptisque Purpuratorum Patrum et Episcoporum Familiaribus proprio peculiari habitu de more indutis, est omnino prohibitum. Ex tolerata consuetudine non videtur denique improbandus ingressus laicorum, modo sacco et mozzeta relativae Confraternitatis sint induti, cum in defectu clericorum aliquod exercent sacrum, sed ex infimis officium. At proxime ad altare ministrantes, superpelliceum omnino adhibeant.

XI. *Pro Parisiis.* Lege posita inclinandi capitis in Missa erga Imaginem in medio altari expositam, agenda est dicta inclinatio etiam quando verba id exigant, tempore Canonis et Evangelii, cum eadem semper sit ratio toto functionis tempore.

XII. *Pro Hollandia.* Si Sacerdos post primum Evangelium concionari debeat e suggestu, quod proprie Episcopis Ordinariis competit, manipulum ad summum deponere potest. Ascendere autem pulpitum cum sola alba et stola, praesenti disciplina inspecta, nobis probandum

non videtur, quamvis cotta, quacum de more Sacerdos concionetur, nonnisi alba decurtata sit. Certe usus Romae non est eiusmodi, uti aliarum observantiorum Ecclesiarum.

XIII. *Pro cod. loco.* Dies III, VII, XXX et anniversaria possunt comprehendere diem obitus, sed non est necessarium cum possint computari etiam a die sepulturae.

APPENDIX

I.

Suspensio Indulgentiarum et Facultatum vertente Anno Universalis Iubilaei Millesimo Noningentesimo.

LEO EPISCOPVS SERVVS DEI AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Quod Pontificum maximorum sanxit auctoritas, ut Anni sacri solemnia Romae potissimum agerentur, id quidem cum provisa divinitus dignitate et grandioribus muneribus almae Urbis est admodum congruens. Haec enim omnium, quotquot ubique sunt, christianorum patria communis ; haec sedes sacrae potestatis princeps, eademque traditae a Deo doctrinae custos sempiterna : hic ut ab unico augustissimoque capite in omnes christianae reipublicae venas perenni communicatione vita propagatur. Nihil ergo tam consentaneum, quam catholicos homines vocatu Sedis Apostolicae huc certa per intervalla temporum convenire, ut scilicet una simul et remedia expiandis animis in Urbe reperiant et romanam auctoritatem praesentes agnoscant. Quod cum tam salutare ac frugiferum appareat, sane cupimus ut urbs Roma toto anno proximo maiore qua

fieri potest frequentia mortalium celebretur: ob eamque rem peregrinationis romanae cupidis velut stimulos additurі, admissorum expiandorum privilegia, quae liberalitate indulgentiaque Ecclesiae passim concessa sunt, intermitti volumus: videlicet quod plures decessores Nostri in caussis similibus consuevere, Indulgentias usitatas apostolica auctoritate ad totum Annum sacrum suspendimus: verumtamen prudenti quadam temperatione modoque adhibito, ut infra scriptum est.

Integras atque immutatas permanere volumus et decernimus

I. Indulgentias *in articulo mortis* concessas:

II. Eam, qua fruuntur ex auctoritate Benedicti XIII decessoris Nostri, quotquot ad sacri aeris pulsum de genu vel stantes *Salutationem angelicam*, aliamve pro temporis ratione precationem recitaverint:

III. Indulgentiam decem annorum totidemque quadragenarum Pii IX auctoritate an. MDCCCLXXVI iis tributam qui pie templa visitent in quibus Sacramentum augustum quadraginta horarum spatio adorandum proponitur:

IV. Illas item Innocentii XI et Innocentii XII decessorum Nostrorum decreto iis constitutas, qui Sacramentum augustum, cum ad aegrotos defertur, comitentur, vel cereum aut facem per alios deferendam ea occasione mittant:

V. Indulgentiam alias concessam adeuntibus pietatis causa templum sanctae Mariae Angelorum Ordinis Fratrum Minorum extra Assisii moenia a vesperis Calendarum Augusti ad solis occasum diei insequentis:

VI. Indulgentias, quas S. R. E. Cardinales Legati a latere, apostolicae Sedis Nuntii, item Episcopi in usu Pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma consueta largiri solent:

VII. Indulgentias Altarium Privilegiatorum pro fidelibus defunctis, aliasque eodem modo pro solis defunctis concessas:

item quaecumque vivis quidem concessae sint, sed hac dumtaxat causa ut defunctis per modum suffragii directe applicari valeant. Quas omnes et singulas volumus non prodesse vivis, prodesse defunctis.

De facultatibus vero haec constituimus et sancimus, quae sequuntur.

I. Rata firmaque sit facultas Episcopis aliisque locorum Ordinariis impertiendi indulgentias *in articulo mortis* eamdemque communicandi secundum Litteras a Benedicto XIV decessore Nostro datas Nonis Aprilis An. MDCCXLVII:

II. Item ratae firmaeque sint facultates Tribunalis Officii Inquisitionis adversus haereticam pravitatem, eiusque Officialium: Missionariorum quoque et Ministrorum qui vel ab eodem Tribunali, vel a Congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae Fidei praeposita, vel alias ab apostolica Sede ad id deputati fuerint: nominatim facultas absolvendi ab haeresi eos, qui, ciurato errore, ad fidem redierint:

III. Ratae firmaeque sint facultates, quas Officium Poenitentiariae Nostrae apostolicae Missionariis, in locis Missionum earumque occasionem exercendas, concesserit:

IV. Item facultates Episcoporum aliorumque sacrorum Antistitum circa dispensationes et absolutiones suorum subditorum in casibus occultis etiam Sedi apostolicae reservatis, quemadmodum ipsis a sacra Tridentina Synodo, seu alias etiam in publicis casibus, a iure communi ecclesiastico et ab apostolica Sede pro certis personis et casibus permissae dignoscuntur. Idem statuimus de facultatibus Antistitum Ordinum religiosorum, quaecumque ipsis in Regulares sibi subiectos ab apostolica Sede tributae sint.

Iis exceptis, de quibus supra memoravimus, ceteras omnes et singulas Indulgentias tam plenarias, etiam ad instar Iubilaei concessas, quam non plenarias, suspendimus ac nullas iubemus esse. Similique ratione facultates et indulta absolvendi etiam

a casibus Nobis et apostolicae Sedi reservatis, relaxandi censuras, commutandi vota, dispensandi etiam super irregularitatibus et impedimentis cuilibet quoquo modo concessa, suspendimus ac nulli suffragari volumus ac decernimus. Quocirca praesentium auctoritate Litterarum praecipimus ac mandamus, ut, praeter Indulgentias Iubilaei, easque, quas supra nominatim excepimus, nullae praeterea aliae uspiam, sub poena, excommunicationis eo ipso incurrendae aliisque poenis arbitrio Ordinariorum infligendis, publicentur, indicantur, vel in usum demandentur.

Quaecumque autem his Litteris decreta continentur, omnia ea stabilia, rata, valida esse volumus et iubemus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Earum vero exemplis aut transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem volumus haberi fidem, quae haberetur praesentibus si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae suspensionis, decreti declarationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contra ire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo nono Pridie Cal. Octobris, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

C. Card. ALOISI MASELLA Pro-Dat.

A. Card. MACCHI

Visa De Cvria I. De Aqvila e Vicecomitibvs

Loco ✠ *Plumbi* — *Reg. in Secret. Brevium* — I. Cvgnonivs.

II.

LEO EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI AD FVTVRAM REI MEMORIAM.

Indulgentiae pro personis privilegiatis.

Aeterni Pastoris infinitam caritatem animo reputantes, qui ***proprias oves vocat nominatim*** (1) ***ut vitam habeant et abundantius habeant*** (2), quique ipsarum adventum ad sui gremium non modo expectat, sed ipse saepe praevertit, consilium agitavimus de Apostolicae liberalitatis thesauro recludendo in proximum annum Iubilaei iis etiam, quibus sua conditio non sinit ut praescriptam peregrinationem ad almam hanc Urbem et ad beatorum Apostolorum limina suscipiant. Placuit igitur fructu vacuam non redire multorum fidem ac pietatem, qui huiusmodi iter summo cum studio essent aggressuri, nisi eos aut septa monasterii, aut ineluctabilis captivitas, aut corporis infirmitas impediret. Quae quidem relaxatio atque benignitas non istorum tantum necessitati aut utilitati prospiciet, sed in communem omnium salutem redundabit. Coniunctis enim tot hominum precibus et lacrimis, quos vel vitae innocentia et religionis ardor, vel poenitentia, vel calamitas segregavit a ceteris, divinae misericordiae placandae spem licebit multo validiorem fovere. Quamobrem vi praesentium litterarum opportunas rationes describere decrevimus, quibus quum viri tum mulieres in eremis, monasteriis et religiosis domibus assidue vitam degentes, vel custodiis et carceribus detenti, vel morbis aut infirmitatibus impediti quominus veneranda Apostolorum sepulcra et Patriarcales Urbis Basilicas adeant permissarum absolutionum concessique plenarii Iubilaei fieri participes valeant.

Qui autem sub hac providentia comprehenduntur, hi sunt:

I. Moniales omnes, quotquot solemnia vota religionis

(1) Io. X, 3.

(2) Ibid. 10.

ediderunt, et in monasteriis degunt sub claustri perpetui disciplina; item quae tyrocinium exercent, quaeve in monasteriis, aut educationis aut alia de causa legitima, commorantur. Pariter Monasteriorum huiusmodi Moniales, quae stipis colligendae gratia septa religiosa egrediuntur:

II. Oblatae, vitae societate coniunctae, quarum Instituta fuerint ab Apostolica Sede vel ratione stabili, vel ad experimentum probata, una cum suis novitiis atque educandis puellis, aliisque communi cum ipsis contubernio utentibus, quamquam severiori claustri lege non adstringantur.

III. Tertiariae sub uno eodemque tecto communiter viventes cum suis pariter novitiis atque educandis puellis, aliisque cum ipsis una degentibus, etsi severiore claustri lege minime teneantur, earumque Institutum nec unquam ad hunc diem ab Apostolica Sede approbatum fuerit, nec ut approbatum in posterum haberi debeat vi praesentis concessionis:

IV. Puellae ac mulieres in gynaeceis seu Conservatoriis degentes, quamvis nec Moniales, nec Oblatae nec Tertiariae, nullisque claustri legibus obnoxiae sint. Has omnes, quas diximus, tam in Urbe quam extra, ubique locorum et gentium degentes, praesentis concessionis gratia et privilegio frui posse decernimus ac declaramus.

V. Idem concedimus Anachoretis atque Eremitis, non quidem eis qui nullis clausurae legibus adstricti vel in collegio et societate, vel solitarii sub Ordinariorum regimine certisque legibus aut regulis obtemperantes vivunt: sed eis qui in continua licet non omnimode perpetua clausura et solitudine deditam contemplationi vitam agunt, etiamsi monasticum aut regularem Ordinem profiteantur, ut Cistercienses aliquot, Chartusienses, Monachi et Eremitae sancti Romualdi solent.

VI. Ad utriusque sexus Christifideles eamdem concessionis gratiam extendimus, qui captivi in hostium potestatem versantur, ad eosque ubique locorum, qui ex civilibus aut crimi-

nalibus causis in carcere detinentur; item qui exilii poenam aut deportationis luunt; qui in triremibus aut alibi ad opus damnati reperiuntur; denique ad religiosos viros qui suis in coenobiis sub custodia retinentur vel qui ex rectorum praecepto certam habent sedem, quasi exilii aut deportationis loco assignatam.

VII. Eamdem concessionem communem esse pariter volumus utriusque sexus infirmis cuiusvis ordinis et conditionis, vel qui iam extra Urbem in morbum aliquem inciderint, cuius causa, intra Iubilaei annum, Urbem adire, medici iudicio, non possint, vel qui, licet convaluerint, non sine tamen gravi incommodo romanum iter aggredi possint, vel qui omnino dare se in iter imbecilla ex habitu valetudine prohibeantur. Horum denique numero senes haberi volumus, qui septuagesimum aetatis suae annum excesserint.

Itaque istos omnes et singulos monemus, hortamur et obsecramus in Domino, ut peccata sua *in amaritudine animae* recolentes eademque intimo animi sensu detestantes, saluberrimo Poenitentiae sacramento et congruis satisfactionibus suam quisque conscientiam expiare curent; tum ad caeleste Convivium ea, qua par est, fide, reverentia, caritate, accedant, Deumque optimum maximum, per Unigenitum Filium eius ac per merita augustissimae Virginis Mariae et beatorum Apostolorum Petri et Pauli omniumque Sanctorum, iuxta Nostram Ecclesiaeque mentem enixis precibus orent pro sanctae Ecclesiae prosperitate atque incremento, pro extirpandis erroribus, pro catholicorum principum concordia, totiusque christiani populi tranquillitate et salute; in eumque finem visitationi quatuor Urbis Basilicarum, alia religionis, pietatis, caritatis opera devote sufficiant, quum voluntaria, tum praesertim a delectis sacri ordinis viris auctoritate Nostra iniungenda, prout infra edicitur.

Scilicet volumus ac iubemus ut venerabiles fratres Episcopi aliique locorum Ordinarii Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliis-

que superius memoratis sive puellis, sive mulieribus, Anachoretis, Eremitis, in carcere detentis, aegrotantibus et septuagenario maioribus, statuant ac praescribant sive per se sive per prudentes Confessarios, congrua religionis ac pietatis opera iuxta singulorum statum, conditionem et valetudinem ac loci et temporis rationes: quorum perfunctionem operum pro visitatione quatuor Urbis Basilicarum valere volumus ac decernimus. Eamdem commutandorum operum facultatem concedimus Praelatis Regularibus, videlicet utendam erga Instituta et personas singulas quae in ipsorum iurisdictione sint. — Eodem genere personis quae in Urbe degant, designari opera sufficienda volumus per dilectum Filium Nostrum S. R. E. Cardinalem Vicarium eiusque vices gerentem, sive per se ipsos sive per prudentes Confessarios.

Itaque Omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, iis omnibus et singulis, quos supra memoravimus, vere poenitentibus et intra praesentem Iubilaei annum rite confessis ac sacra Communione refectis, Deumque, ut supra dictum est, orantibus, omnia denique implentibus alia iniungenda opera in locum visitationum, ac, vel inchoatis tantum iisdem operibus, si morbus periculosus oppresserit, plenissimam omnium peccatorum indulgentiam, veniam et remissionem, etiam duplici vice intra anni sancti decursum si iniuncta opera iteraverit, haud secus ac si praescripta communiter ceteris omnibus expleverint, de Apostolicae liberalitatis amplitudine largimur atque concedimus.

Monialibus earumque novitiis licere volumus, at prima dumtaxat vice, sumere sibi ex alterutro Cleri ordine Confessarios, qui tamen sint ad audiendas Monialium confessiones rite approbati. Anachoretis atque Eremitis supra dictis, itemque Oblatis, Tertiariis, puellis ac mulieribus in monasteriis piisque domibus vitam communem agentibus, quibus forte ordinario tempore eligendi sibi Confessarii libera facultas non sit, simili-

terque Christifidelibus captivitate, carcere aut custodia, infirmitate aut senectute impeditis, fas esse iubemus eligere sibi prima vice dumtaxat Confessarios quoscumque, dummodo ad confessiones personarum saecularium probati rite sint. Idem eisdem conditionibus liceat viris religiosis ex quolibet Ordine aut Congregatione vel Instituto. — Confessariis sic electis concedimus et tribuimus ut personas supra dictas, auditis earum confessionibus, absolvere possint a quibusvis peccatis, etiam apostolicae Sedi speciali forma reservatis, excepto casu haeresis formalis et externae, imposita poenitentia salutari aliisque iuxta canonicas sanctiones rectaeque disciplinae regulas iniungendis. Praeterea confessariis, quos moniales sibi elegerint, facultatem facimus dispensandi super vota quaelibet ab ipsis post solemnem professionem facta, quae regulari observantiae minime adversentur. Simili modo Confessarios supra memoratos etiam dispensando commutare posse volumus omnia vota, quibus Oblatae Novitiae, Tertiariae, puellae et mulieres in communibus domibus agentes sese obstrinxerint, exceptis iis, quae Nobis et apostolicae Sedi reservata sint: factaque commutatione, a votorum etiam iuratorum observantia absolvere.

Hortamur autem Venerabiles Fratres Episcopos aliosque locorum Ordinarios, ut, Apostolicae Nostrae benignitatis exemplo, eligendis ad praesentium effectum Confessariis impertiri ne recusent facultatem absolvendi a casibus qui ipsis Ordinariis reservati sint.

Volumus denique ut praesentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici et sigillo viri in sacri ordinis dignitate constituti munitis, eadem ab omnibus adiungatur fides, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae. Ceterum harum decreta et iussa Litterarum rata, valida, firma in omnes partes esse et fore decernimus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae

declarationis, hortationis, concessionis, derogationis, decreti et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo nono Calend. Novembris, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

C. CARD. ALOISI MASELLA PRO-DAT. - A. CARD. MACCHI

VISA

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

Loco ✠ Plumbi.

DECRETUM

URBIS ET ORBIS

Anni sacri a Beatissimo Patre et Domino Nostro LEONE XIII feliciter indicti, proxime celebraturos initia, summopere decet nocte surgentes adire saeculi Auctorem, ad eius aras provolvi, acceptissimam offerri Hostiam, divinum scilicet Agnum, sacro convivio interesse, ut opportuno maxime tempore liceat auxilium, gratiam, misericordiam invenire: *Nunc enim propior est salus. Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis.* Quod si regnum caelorum, id est praesentis temporis Ecclesia, simile esse perhibetur decem virginibus sponso de nocte occurrentibus, hac potissimum solemni faustitate licet unicuique mentem accuratius in sacra illa verba intendere: *aptate vestras lampades; ecce sponsus venit exite obviam ei.*

Cum insuper media nocte postremae diei mensis Decembris futuri anni praesens absolvatur saeculum novumque habeat initium, valde congruum est, ut pio quodam ac solemni ritu Deo gratiae agantur pro acceptis huius decursi saeculi bene-

ficiis, et potiora impetrentur, urgente praesertim necessitate temporum, ad novum saeculum auspicato ineundum.

Itaque ut imminens annus MCM ab implorata Dei ope Eiusque Unigeniti Filii Servatoris nostri sumat auspicia idemque prospero cursu finiatur, longe felicius, uti sperare fas est, allaturus aevum; Ssmus Dominus Noster LEO PAPA XIII benigne concedit ut die 31 mensis Decembris, tum labentis, tum adventuri anni, media nocte in templis ac sacellis ubi Ssma Eucharistia rite adservatur, iuxta prudens arbitrium Ordinarii, sui cuiusque loci, exponi possit adorandum idem Augustissimum Sacramentum; facta potestate legendi vel canendi eadem hora coram Illo unicam missam de festo in Circumcisione Domini et Octava Nativitatis: fidelibus autem sive infra sive extra Sacrificii actionem, de speciali gratia, sacram synaxim recipiendi: servatis ceterum servandis.

Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 13 Novembris, anno 1899.

C. Episcopus Praenestinus Card. MAZZELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

D. PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

IMPRIMATUR.

P. Fr. Albertus Lepidi O. P.
S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR.

Ioseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile

Roma, Tip. F.lli Amoroso — Torretta Borghese 22-25.